CONSTITVTIONES SYNODALES.

AB ILL.MO ET REV.MO DOMINO
S. T. ET V. I. D.

ALOYSIO BRANCIFORTIO

EPISCOPO MELPHITANO, ET RAPOLLITANO
ÆDITÆ M. DC. LX.



MELPHIÆ IN EPISCOPALI PALATIO,
Ex Typographia Hæredum Laurentij Valerij, M. DC. LXI.

SVPERIORVM PERMISSV.

AD IMMACVLATAM VIRGINEM.

DVdum mihi cogitanti de Conceptione Virginis Mariæ habere sermonem, statim ecce duo belligeri æquè passibus intellectum gradiebantur, & æquè armis mentem meam lacerabant. Audacia vnus, Timor alter vocabatur. Illa ecce duo tibi talenta, intellectum, & operationem; cur alia duo non lucraris? Intellectum vt de diuinis cogites, operationem vt quod mente reuoluis opere compleas, quid times? Ardua molitum laude, non caret? Argo Nauis Cœlum est Portus? Icharus adhuc suo viuit interitu. Et tandem si cadendum est, Cœlo prouoluas? Audaciæ obiectum est fides, fides & spes obuiauerunt sibi, Spera in Domino, & pasceris in diuitijs eius.

Timor è contrario cuius obiectum humana vilitas est, mihi sibi labat, super Onerariam Nauem rudis Rector imponeris? Et qui non dum in lacu scalmum rexisti; Euxini maris exponeris fragoribus? Nunc tibi euanescentibus terris Cœlum vnique, & vndique pontus; Nunc vnda tenebris inhorrescens, & cæca nocte nimborum spumei fluctus canescunt: Vis tumida vento vela suspendere? Clauum regere? Spumantes superare vndas? Et ad optatum portum nauem appulere?

Et dum inter hos anfractus anceps eram, si onus susciperem an abijcerem, hoc ignauiæ, illud periculi plenum videbatur. Aleam ieci; Vicit tandem audacia, quia à nobiliori regulatur obiecto, & dum charitas omnia potest, Spiritu sancto cursum prosequente, solatium in hoc tractatu me habiturum confidam.

Igitur ò purissima Virgo, Tu quæ aperis os mutorum, & linguas infantium facis esse dissertas; Intellectum illumina, affectum inflamma, & ignito calculo labia mea purifica,

rifica, vt tuæ sanctissimę Conceptionis præconia enarrare valeam; Et interim nostras Synodales Constitutiones, ad maiorem filij tui gloriam accomoda.

Duplicem terminum considerant Theologi ad contrahendum originale peccatum. Primus est, debitum contrahendi, secundus actualis contractio.

Sancti Patres communiter asserunt, Beatam Virginem contraxisse debitum in radice, fundati in illud Apostoli
5. 12. ad Romanos, Mors in omnes homines per peccatum intrauit: Beata Virgo mortua fuit, ergo sentijt pœnam peccati in radice, à qua solus Christus fuit immunis dum sine
Lib. 4. c. 4. contra Pelag. meritis mortis mortuus fuit, vt ait S. Augustinus. Et sic vocant carnem Virginis, carnem peccati; Carnem autem Christi in similitudinem carnis peccati. Hinc B. V. dum descendit ex semine Adæ, negari non potest, quin habuerit debitum contrahendi originale peccatum, quia Christus in sua passione omnes redemit; Si B. V. fuisset immunis à tali debito, diceretur, non redempta, & sic peioris conditionis omnium creaturarum esset Maria, dum ex sacris literis docet Catholica fides, Deum venisse in hunc mundum, vt omnes homines saluos faceret, propterea ad istam vniuersalem propositionem affirmatiuam destruendam, vna saltem propositio particularis negatiua sufficeret, quod nefas est dicere, neque per hoc vllus inficitur, defectus personæ, quod fuit infirmitatis origo; Nam quod per naturam debebatur, per gratiam fuit exemptum à persona, quod est secundum in ordine considerandum.

In illo autem decreto, quod in semine Adæ omnes maledicentur, Deus, Ius, & libertatem miserendi cui vult, & quando vult, non sibi abstulit; Vt si Rex legem ferens omnibus sub pœna mortis, non ideò omnes transgressores, mortis supplicio afficeret; sed quibus vult, miseretur, & indulget. & sicut ait Ambrosius; Vsufructuarius arborum habet sibi omnes fructus obnoxios, antequam nascantur, vnde potest illos vendere, & redimere, pro vt voluerit; B. V. fuit obnoxia peccato originali in semine Adæ, ante-

quam

quam existeret, caruit tamen hac macula in propria persona, antequam crearetur, quia Dominus vsufructuarius omnium creaturarum eam præseruauit, & redemit antequam existeret. Ita dicit S. Bernardinus à Sena. Tu ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti. *Serm. 2. f. de Virg.*

Theologi acutissimas quæstiones continuò typis mandant, libros implentes, ac in Cathedris, non cessant quærere, quomodo peccatum originale contrahatur à nobis, qui constare videmur ex anima, & corpore: Anima creatur à Deo perfectissima, carens omni labe, corpus cùm sit quid materiale, non potest esse capax meriti, & demeriti; Vnde Oceanum ingressi optatum portum nunquam ingredi videntur, eò magis, cum dicat Sanctus Augustinus: Nihil esse notiùs, quam peccatum originale traduci, nihil obscuriùs, quàm quomodò traducatur; Et ad Hieronymum scribit, sufficere nobis, vt sciamus modum, quo quis liberari possit à peccato originali etiam si nesciamus modum, quomodò incidimus in illud peccatum: Cùm re-uera caro ex generatione procreata dicatur verè, & realiter vitiata, & licet anima purissima à Deo creata sit absque pænitus minima labe, coniuncta carni vitiatæ, tanquam in subiecto, in quo peccatum Adæ, suum producit effectum, contrahit peccatum originale, dum eadem caro remanet obnoxia omnibus humanis passionibus morti, & corruptioni. *Lib. 1. de morib. Eccles. c. 12. Epist. 29.*

Neque causa peccati originalis est simplex generatio, quæ à Deo instituta fuit in Paradiso voluptatis, illis verbis: crescite, & multiplicamini, &c. Nam tale præceptum quidem semper, sed non ad semper obligabat, sed generatio postea ex natura corrupta, à carne vitiata fuit ad nos transfusa cum ardore libidinis, vt causa efficiens incurrendi in originale peccatum. At talis generatio, non fuit in M. V. ex Ioachim, & Anna, sed tantum simplex, & pura generatio absque vllo prorsus ardore libidinis ex decreto diuinæ voluntatis; ita ait S. Petrus Damianus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Beata Virgo maculas Adæ, non *Serm. de Assumpt.*

admi-

Serm. de admisit, dum in totum (dicit S. Idelfonsus) fuit extranea à
par. Virg. maledicto primę damnationis, eo quia ad hunc Paradisum
S. Io. Da- serpens aditum, non habuit.
masc. orat. Ita congruum erat dignitati Matris, vt eam omnium
2. de dor- gratiarum culmine locupletaret omnipotens Deus, qui
mit. Deip. dum Patri, matrique honorem præcipit exhiberi, credere
Riccard. nefas erit, suę propriæ matri fuisse ingratum, cæteris sanctis
de S. Vict. per partes, Mariæ autem tota se infudit gratiæ plenitudo,
S. Hier. iuxta illud Gabrielis Archangeli. Aue gratia plena, id est
de Assūpt. gratia præseruatiua contra fœditatem originalis culpę,
Virg. quam incurrisset ex corruptione naturæ, nisi speciali gra-
S. Bonau. tia præseruata, præuentaque fuisset à Deo. Et Angelicus
ser. 2. de Doctor, B. V. ait, ex eo, quod est Mater Dei, habet quan-
Maria. dam infinitam dignitatem ex bono infinito, quod est Deus
1. part. & ex hac parte non potest aliquid melius esse Deo. Vnde
quæst. 25. ex præmissis Diui Thomæ, credere verum erit, B. V. im-
art. 6. ad munem esse à culpa originali, dum aliam creaturam dotari,
4. non posse à Deo maioribus gratijs, & priuilegijs, quæ de-
S. Ma- dit B. V. M. vtpote eius matri ab æterno prædestinatæ, dum
xim. ser. ex radice vitiata, sine vitio prodit B. V. M. attestante Isaia,
de Assūpt. egredietur virga ex radice Iesse, cui dicit Ambrosius, Aue
S. Ambr. Virga, in qua, nec nodus originalis, nec cortex actualis
in c. 11. culpæ fuit, & Angelicus Doctor ait, talis fuit puritas B. V.
Isaiæ & quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.
in ser. de Omnes fructus ex radice maculata prouenientes, cadunt
Gabaoni- in terram, spinas, & tribulos germinantem, non se-
tis. cus genus humanum in seminæ Adæ vulneratum, prius
S. Thom. ad luctum, quam ad gaudia venit in hunc mundum, eò
1. dist. quia omnes nascimur filij Irę; B. V. M. licèt ex carne vi-
44. q. 1. tiata proueniens, attamen vllo vnquam tempore, peccati
ar. 3. ad 3. pęnam sentijt, quia statim ac eius anima fuit creata,
Serm. 2. de sanctificata fuit, ex Sancto Vincentio Ferrerio; quod præ-
nat. Virg. uidens Regius Psaltes dixit: Non collidetur, quia Domi-
Ps 36. 19. nus supponit manum suam, id est auxilio, & prouidentia
Belarmin. sua, quod totum in illa Arca veteris testamenti figuram
habuit, ad cuius transitum aquæ Iordanis steterunt retror-

sum,

ſum, & ſicco veſtigio eam tranſire fecerunt, quia in eius *Ioſuè* 3.
Conceptionis primordio ſpiritus ſanctus eam ſingulari 17.
gratia præſeruauit, & ideò ad tantam excellentiam venit. *S. Bonau.*

Loquutus fuit Dominus per os Iſaiæ ad Ezechiam *ſer. 2. de*
Regem Iuda dicens: Propter peccata tua veniet Senna- *B.V.M.*
cherib Rex Aſſiriorum, & deuaſtabit Regnum tuum, ſed *4. Reg.*
in Ieruſalem, eò quod ex ea naſcentur reliquiæ, non ingre- *19.*
dietur, nec in eam ſagittam mittet, nec occupabit eam
clypeus, nec circundabit eam murus, ſaluabo enim eam
propter me, & propter Dauid ſanctum meum: Simili quo-
dam modo in exordio naſcentis mundi comminata fuit
à Domino pœna, & ſententia Adamo; propter inobe-
dientiam enim ſuam ingreſſus fuit Diabolus in mundum,
vt omnium viuentium animas fœdaret, ſed animam Vir-
ginis Mariæ, quia ex ea egreſſurus erat ſol iuſtitiæ Chriſtus
Deus noſter, non occupauit aliquo indiuiſibili temporis
ſpatio inimicus, nec habuit minimam ſuſpitionem pec-
cati originalis, quia ſaluauit eam propter ſe, & propter Da-
uid ſanctum ſuum, eò quia fuit B. V. Turris inexpugnabi- *S. Thom.*
lis, à qua nunquam Diabolus habuit tributum; ideò aſſi- *à Villa-*
milata eſt ciuitati Dei, quæ præſeruata fuit ab initio mun- *nou. Serm.*
di ab omni labe, ſicut S. Antonius dixit, B.V. dicitur ciui- *1. de Aſ-*
tas Dei, quia Dominus ſemper eam poſſedit quietè, & ſub *ſumpt. V.*
perfecta obedientia. *S. Ant.*

Dixi, ſed nunquam tacebo, quia ſemper adeſt copia *tom. 4.*
laudatoris, dùm materia eſt ita ineffabilis, vt fandi conti-
nuò tribuat facultatem. Ad te igitur Sanctiſſima Mater
orationem meam conuerto, faue quæſò calamo, & lin-
guæ meæ, ita vt in omnibus tibi tribuatur victoria, quod
Ioab ſcripſit ad Dauid, veni dico, & quod reliquum eſt, *2. de Reg.*
nunc confice prælium, cœleſtem deſuper tuis præcibus *12.*
moue militiam, vt debellatis tandem pænitus hoſtibus,
triumphale carmen deboræ concinnamus: De Cœlo dimi-
catum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine ſuo ad-
uerſus Syſaram pugnauerunt; Et ſicut Eliſeus manum *Iud. 5. 7.*
ſuam, Regis manui ſuperimponens in emiſſione ſagittæ,

fecit

fecit eum esse totius Syriç percussorem? Eodem tu pariter Symbolo mecum agens manui meæ debili, tuam validissimam iungens, obtusum hunc stylum in sagittam salutis Domini contra insultantes Assyrios facias me esse victorem. Et interim me filium tuum degentem in terris, assiduo foue præsidio, consilio rege, protectione custodi, dum sub tuum præsidium confugio Sancta Dei Genitrix. Ampliora mihi crescant de tua iam perfecta, & in omnibus consumata charitate subsidia, vt hunc Dominicum gregem verbo, & exemplo pascam. Et quod labilis huius senectutis meæ curricula inoffenso pede percurram, perueniamq; tandem post mortalis vitæ cursum, ad illam sempiternam requiem, vbi ad tuos Sanctissimos pedes prouolutus, dicam; Sancta Maria, Dei Genitrix, perpetua, & Immaculata Virgo succurre miseris, iuua pusillanimes, ora pro isto populo, interueni pro nostro Clero, intercede pro deuoto femineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quicunque celebrant tuam sacratissimam Conceptionem.

Deiparæ Virginis eiusque Immaculatæ Conceptionis,

Deuotus, & humilis

Aloysius Brancifortius Episcopus.

ALOY-

ALOYSIVS EPISCOPVS. &c.

Dilectis in Domino filijs, præsertim Deo, & Ecclesiæ dicatis, salutem, & benedictionem.

AVscultа fili præcepta Magistri: Hoc est præceptum Domini, vt diligatis inuicem. Præcepta Domini multa sunt, & vnum: multa per diuersitatem operis, vnum in radice dilectionis, & sicut multi arboris rami ex vna radice prodeunt, sic multæ virtutes ex vna charitate generantur. Hinc quicquid præcipitur in sola dilectione solidatur. Vnde nos in ista Sancta Synodo nihil aliud mandamus, nisi dilectionem, quia præceptum Domini est, & si hoc fiat, sufficit. Præcepta, quę sub diuersis titulis damus, si attente considerentur, dum ex charitate prodeunt, in amore exequi volumus. Cum nostri Pastoralis officij proprium sit amari, non timeri. Quapropter omnes in Domino rogamus, ac toto Cordis affectu pręcamur, vt Matres nos esse cognoscant, non Dominos. Et quia debitorẽs sumus sapientibus, & insipientibus, quos si aliquando opus erit iustitiæ corrigere, opus itidem erit misericordiæ temperantia, vt Matres fouendo, vt Patres corrigendo, verbera suspendendo, vbera porrigendo: Et vt hæc secundum Deum dignè administrare valeamus, cum totam Diœcesim personaliter inuiserimus, cui nè debitæ, ac generales prouisiones, ad iustos Dei honores celebrandos desiderentur, aut debitum obsequium per inconsiderarionem minuatur, similiter nè enatum errorem, vel consuetudine factum fræno rationis inhibere desistamus, multas inuenire medicinas, multorum experientia morborum, lustratione ipsa nostra, veluti expertes diligenter curauimus. Atque in huiusmodi, vbi per graues dissentionum scissuras, non huic, aut illi homini periculosas, sed toti gregi nostro Stragem afferentes inuenerimus, detrahendum semper aliquid Seueritati censuimus, vt maioribus malis sanandis, charitas sincera

Ioan. 15. 12.

S.Gregor. hom. 27. in Ioan.

Ad Rom. 1. c. 15.

ſubueniat. Decor enim Domus Dei, non dicit parietum pulchritudinem, aut Miniſtrorum prætioſiſſimos apparatus; ſed ipſorum actus, ſpecioſiſſimam præfulgeant Sanctimoniam, quibus congaudet Eccleſia, in Pſalmorum iubilatione, in præcum ſanctitate, & in Chriſtiani Populi deuotione. Igitur Diœceſanam Synodum in Spiritu Sancto iuxtà Sacrorum Conciliorum, & Eccleſiæ Sanctiones conuocare, opportunum tempus, Octauam poſt Reſurrectionem Domini, iudicauimus, vt qui ad ipſius cultum, eius Sanctiſsimam Reſurrectionem celebrauimus, ità à noſtris exceſsibus reſurgere curemus. Monitis igitur his, qui præfatę Synodo interuenire ſolent, pręfixa die in noſtra Cathedrali ad huiuſmodi Synodi celebrationem adeſſe debeant. Omnipotentem Deum enixè rogamus, vt nos, & actiones noſtras Spiritus Sancti aſsiſtentia, in nomine dilecti filij ſui purificare, ac dirigere dignetur. Et quia hæc Cathedralis eſt ſub protectione Sanctiſsimæ Genitricis Dei Mariæ erecta, ac itidem cuſtodita, ad ſuum ſanctiſsimum refugium accedamus, ad cuius pedes prouoluti, ſuam pijſsimam clementiam exoremus, vt nos, Ciuitatem iſtam, & Diœceſim vniuerſam ab omni aduerſitate cuſtodire, & protegere dignetur. Amen.

PARS PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

De fide Catholica, & ad illam pertinentibus.

1 A Fide tanquam à ſpirituali Baſi, ac firmamento ordiendum, non ſolùm verbo, ſed facto, & exemplo. Igitur iuxtà Conc. Trid. in principio huius noſtræ Synodi, omnes, qui de Iure tenentur, in manibus noſtris (genibus flexis) eam profiteantur.

2 Dignitates, vel Canonicatus in noſtris Cathedralibus obtinentes, infrà duos menſes à die poſſeſſionis in manibus noſtris, vel Vicarij Generalis, ac etiam in Capitulo eam profiteri debeant, coram Notario noſtro cum duobus teſtibus. *Seſſ. 24. cap. 12. de reform.*

3 Qui curam Animarum ſuſcipiunt, item infrà duos menſes coràm nobis, aut noſtro Vicario Generali præſtent eodem modo.

4 Prædicatores, Lectores publici, tùm etiam Præceptores puerorum, ac etiam vniuerſi, qui priuatim, vel publicè facultatem literariam docendi ſuſcipiunt, ſub pœnis in eodem Concilio pro cuiuſcunque perſonæ qualitate poſitis. *Seſſ. 25. cap 2. de reform.*

5 Medicos quoque, Phyſicos, & publicos Chirurgos aſtringi volumus, iuxtà Conſtit. Pij Quarti.

PROFESSIO FIDEI.

1 EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia vtitur. Videlicet. Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, Factorem, Cœli, & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium; & in vnum Dominum Iesum Christum Filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum antè omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero, Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioque procedit; Qui cum Patre, & Filio, simul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

2 Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesiæ obseruationes, & Constitutiones firmissimè admitto, & amplector.

3 Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam; nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor.

4 Profiteor quoque septem esse, verè, & propriè Sacra-

Sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licèt non omnia singulis necessaria; scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pænitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; Illaque gratiam conferre: & ex his, Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sinè sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo, verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis; atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter Corpus, & sanguinem, vna cùm anima, & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem; quam conuersionem, Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat.

5 Fateor etiam sub altera tantùm specie, totum, atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi; constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragijs iuuari.

6 Similiter, & Sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse; eosque Orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas, firmimissimè assero. Imagines Christi, & Deiparæ semper Virginis; necnon aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sacram Catholicam, & Apostolicam Romanam Eccle-

siam,

siam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram agnosco, Romanoque Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis Successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

7 Cætera item omnia à Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo, tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam, nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inuiolatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum.

8 Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro, sic me Deus adiuuet, & hæc Sacra Dei Euangelia.

9 Si quis verò aliquem cuiuscumque gradus, & conditionis ab hac fide aberrauerit, vel dubitare nouerit, ad nostram notitiam infrà horas viginti quatuor sub pœna excommunicationis latæ sententię deducere teneatur. Hanc ipsam sententiam incurrant illi, quos libros prohibitos etiam manuscriptos legere, vel apud se retinere nouerimus.

10 Veneficos, Maleficos, Sortilegos, & cum Diabolo pactum implicitum, vel explicitum contrahentes, maioris excommunicationis fulmine percutimus.

11 Item vtentes vanis, & superstitiosis medijs ad quemcumque finem consequendum, ac etiam in medicamentis aliquid sacrum, vel dictum, immiscentes.

Leu. 20. 6. Anima autem, quæ declinauerit ad Magos, & Ariolos, & for-

& fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio Populi.

12 Omnes cartas, schedulas cum signis, caracteribus, & nominibus incognitis, tanquam reiectas, & confutatas à communi vsu Sanctæ Romanæ Ecclesiæ condemnamus, & eas superstitiosas declaramus. Item etiam omnia verba Sacræ Scripturæ ad hunc talem effectum indiuidualem producendum reijcimus, dùm nobis constat ex traditione veterum Patrum, talem non habere efficaciam.

13 Omnia item Sacra, vel (quod Deus auertat) Sacramentalia vsui indecenti, ac superstitioso accomodata prohibemus; Cum Sancta illam habeant efficaciam, quam Catholica fides docet, & Sacramenralia sint signa rei Sacræ nos sanctificantia.

14 Obsessi à Dæmonibus, in Ecclesia sunt exorcizandi à Presbytero, à nobis, vel à Vicario nostro Generali approbato; qui superpelliceo, & stola indutus, coram propinquis obsessi vtatur illo ritu, tantùm ab Ecclesia Romana approbato, in Rituali Romano descripto; & caueat sub pœna excommunicationis maioris ipso facto incurrenda, nè in alijs euagetur, & præcipuè in interrogationibus, quæ peccatum mortale concomitantur; vltra quod Dæmoni, cum sit mendacij pater, non esse credendum, omnes doceant.

15 Heresis instar, blasphemiæ est; Igitur qui conrra Deum, Beatissimam Virginem, & Sanctos, & Sanctas, aliquid pronunciauerit, vel in mortuos sæuiendo aliquid maledixerit, excommuuicationis latæ sententiæ illos innodamus. Nam si Patri, & Matri maledicens, moritur; quanto magis puniendus, qui Deum, Diuosque maledicto incesserit. *Lev.20.* *Exod.21. 15.*

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

De Sacris Imaginibus, Sanctorum Reliquiis, ac Aedibus Sacris.

1 SAnctorum Reliquias in nostra visitatione cognitas, & approbatas, venerationi fidelium dicimus exponi, alias reijcimus. Et vt illis debitus honor impartiatur, volumus, quod, quæ sunt in Ecclesia expositæ deuotioni fidelium, clauibus includantur, ita vt nulli pateat accessus ad furtum, sed cum lampadibus accensis, foris continuò venerentur.

2 Nulli vnquam laico, vel Ecclesiastico liceat habere Reliquias apud se, vel domi; cum præcipuus eorum locus sit Ecclesia, à qua nemo eas possit ad suum libitum asportare.

3 Sacras Imagines Domini nostri Iesu Christi, Beatæ Virginis Mariæ, ac Sanctorum, eas approbamus, quæ vetustate temporum non sunt abrasæ, neque laceratæ, & decenti, & honesto habitu pictæ, itaut deuotionem augeant ad debitum eis cultum adhibendum, quatenus ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis. Ædes Sacræ sunt Domus Dei, in quibus deprecationes nostras Deus audit; Et licèt Deus vbique orationes pauperum intendat, peculiari tamen modo in Templo Sancto suo videtur velle esse rogandum.

2. Paralip. 7. 12. 4 Elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum in sempiternum; Ibi erunt aures meæ erectæ ad orationem eorum, qui in loco isto orauerint. Vndè Domus debet esse munda, nitida, & pulchra, tanquam sponsa ornata Viro suo.

Apoc. 21. 2. 5 Parietes sint albi, fenestræ lineis albis obturatæ, itaut lumen intromittant, & iniurias temporum expellant. Tectum sit benè coopertum, itaut pluuias foras

ema-

emanet; Portæ clauibus ſerratæ, & in earum ingreſſu fons aquæ luſtralis à parte Euangelij exiſtat.

6 Confeſſionalia ſint patentia cum ſuis ferreis cratibus, foraminibus diſpoſitis, itaut veniens aliquando inimicus homo, non poſſit in Sancto malignari. *Pſal. 73. 3.*

7 Altaria, in quibus ſacrificium incruentum quotidie immolatur, per geminos ſaltem gradus pauimentum ſuperent, ſint plana, in quorum medio adſit lapideum Altare portatile, quod pateat eſſe conſecratum, cum duabus tobaleis lineis mundis coopertum, hinc indè à lateribus pendentibus ſupra Altare propè parietem; ſcabellum oblongum ad duo ceroferaria cum Cruce in medio aptum, ad cuius pedes tabella magna, quæ dicitur della Gloria; Altaris proſpectiua, ſit ſerico ornata, vel alicuius rei coloris honeſti.

8 Altaria nec inter ſe, nec Baptiſterio ſint ita propinqua, vt celebranti aliquando incomodum oriri poſſit; quæ ſi ſint inepta ad ſacrificium peragendum, aut propter inopiam, aut propter anguſtias, ſatius eſt demoliri.

9 Altaria ſi quæ ſunt Iuriſpatronatus laicalis, vel beneficia ſimplicia, niſi infra ſemiannum ab harum publicatione Conſtitutionum munita fuerint apparatu neceſſario, & ornatu, pro noſtro officio quid agendum ſit, iudicabimus.

10 Nullum Altare de nouo erigatur abſque noſtra licentia ſcripta, neque nouæ Imagines affigantur, præſertim inſolito ornatu, decorentur iuxta Vrbani Octaui Conſtitutionem die decima tertia Martij 1625. in Congregatione Sancti Officij.

11 Sacriſtia ſit propè Eccleſiam, in qua vaſa ſacra, & veſtes ad ſacrificium peragendum, quæ debent eſſe nitida, & perluſtra, cum Miſſale ex nouiſſimis impreſſis, in quo ſit integer Canon Miſſæ, itaut commodè legi poſſit, & in ſuis armamentarijs benè applicata,

& accomodata seruentur, lauacrum contineat ad abluendas manus, & genuflexorium cum aliqua Imagine Domini nostri, vel Beatę Virginis pro gratiarum actione, & Missæ præparatione, & ibi sit sedes apta confessionibus sacrificantium promendis, ac seorsum locus Sacerdoti commodus pro paramentis excipiendis.

12 Ecclesiarum fores ferreis clauibus semper claudantur, excepto tempore sacrificij. Parochiales sint apertæ in die, sed custodiantur, nè quid immundi ingrediatur, noctis tempore aperiantur ad Sacramenta in necessitatibus ministranda tantum.

CAPVT TERTIVM.

De festorum obseruantia.

Num. 15. 32. 1 AD obseruantiam festorum duplici vinculo tenemur; Diuino naturali, quatenus in naturæ lege iubemur Sabbata custodire, & violanti Sabbata, pœna mortis data fuit. Ecclesiastico, cum Summi Pontifices per diuersa tempora à Spiritu Sancto inspirati, diuersas festiuitates statuerint de pręcepto, in honorem Domini nostri Iesu Christi, eiusque Sanctissimæ Matris Virginis Mariæ, & Sanctorum, & Sanctarum; in quibus diebus tenemur ad religiosa, & pia opera positiuè, & à seruilibus operibus cessare negatiuè.

2 Prior colendi festum diem ratio est in Religionis aliquid exhibendo, & id ex Ecclesiæ statuto versatur in sacro audiendo, cui adesse quisquis tenetur, non solum corpore, sed & animo.

3 Posterior à media nocte pręcedente, vsque ad aliam noctem sequentem præcipit Ecclesia abstinere ab operibus seruilibus.

4 Venalia, & exculenta nulla vicatim ferantur, nec pro tabernarum foribus exponantur, sed per ostium semi-

semiapertum ementi porrigantur. Solemnioribus autem sacris, & Concionis tempore, neque emi, neque vendi fas est. Hinc omnes tabernæ, & rerum venalium officinæ omnino claudantur.

5 Tonsores ad emittendum sanguinem tantum, non autem capillos, aut barbam volumus. Molitores, atque equorum ferramentarios post sacrum auditum liberius in die concedimus, dummodò officinis semiapertis, & modestius quoad fieri poterit, eorum munus exerceant,

6 Notarij nisi in casibus Iure, & consuetudine permissis contractus iuratos, actusque cuiusuis generis non conficiant, nec pro ciuili debito carceri quisque mancipetur, exteris suspectis exceptis.

7 Choræas saltationes, & similia, diuinis officijs persolutis, permittimus. Quæ omnia sub excommunicationis pæna seruari mandamus.

8 Hortamur verò omnes, & in Domino monemus, ne quis diebus fæstiuis iter arripiat, antequam Missæ sacrificio deuotè interfuerit.

9 Index fæstorum iuxta decretum Vrbani Octaui, sequens est.

IANVARIVS.

Die prima. Circumcisio Domini.
Die sexta. Epiphania Domini.

FEBRVARIVS.

Die secunda. Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
Die nona. S. Alexandri Mart. Patroni Princ. per Ciuitatē.
Die vigesima quarta. Matthiæ Apostoli.

MARTIVS.

Die decima nona. Ioseph Sponsi B. M. V. ex decreto Sac. Cong.
Die vigesima quinta. Annuntiatio B. M. V.

MAIVS.

Die prima. Philippi, & Iacobi Apostoli.
Die tertia. Inuentio Sanctæ Crucis.

IVNIVS.

Die vigesima quarta. Natiu. Sancti Ioannis Baptistæ.
Die vigesima nona. Petri, & Pauli Apostoli.

IVLIVS.

Die vigesima quinta. Iacobi Apostoli.
Die vigesima sexta. Annæ Matris Virg. Mariæ ex dec. Sac. Cong.

AVGVSTVS.

Die quarta. S. Dominici Conf. vti Patroni totius Regni.
Die decima. Laurentij Martyris.
Die decima quinta. Assumptio Beatæ Marię Virginis.
Die vigesima quinta. Bartholomæi Apostoli.

SEPTEMBER.

Die octaua. Natiuitas Beatæ Mariæ Virginis.
Die vigesima prima. Matthæi Apostoli.
Die vigesima nona. Dedicatio S. Michaelis Archangeli.

OCTOBER.

Die vigesima octaua. Simonis, & Iudæ Apostolorum.

NOVEMBER.

Die prima. Omnium Sanctorum.
Die trigesima. Andreæ Apostoli.

DECEMBER.

Die vigesima prima. Thomæ Apostoli.
Die vigesima quinta. Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.

Die

Die vigesima sexta. Stephani Protomartyris.
Die vigesima septima. Ioannis Apostoli.
Die vigesima octaua. Sanctorum Innocentium.
Die trigesima prima. Siluestri Papæ.

OMNES DIES DOMINICI.

FÆSTA MOBILIA.

Pascha Resurrectionis cum duobus sequentibus.
Ascensio Domini.
Pascha Pentecostes cum duobus sequentibus.
Fæstum Sanctissimi Corporis Christi.

CAPVT QVARTVM.

De Parochorum obligatione.

1 HI sunt vigiles, qui custodiunt Ciuitatem, & alijs dormientibus ipsi peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus suarum ouium: his debitum suum antè oculos ponamus. *Ber. Ser. 76.*

2 Speculatorem dedi te Domui Israel, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me, si non loquutus fueris, vt impius reuertatur à via sua, & ipse morietur in iniquitate sua, sanguinem verò eius de manu tua requiram. Si autem annunciaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab iniquitate sua, ipse morietur, & tu animam tuam liberasti. Quapropter sequentia monemus, & precipimus. *Ezech. 3. 17.*

3 Diebus Dominicis, & fæstis solemnioribus gregem sibi commissum pro sua, earumque capacitate pascant salutaribus verbis, iuxta Tridentinum. Id verò facilè præstabunt, si apud se morale Euangeliorum Comentarium habebunt ad virtutes inserendas, & vitia extirpanda, accomodatum. *Sess. 5. de ref. cap. 7.*

4 Sin-

4 Singulis Dominicis post medium diem pueros, puellasque per tintinabulum Campanæ grandioris vocatos in Ecclesia suæ Parochiæ doceant rudimenta fidei necessaria, vel per se, vel per alios doctos Sacerdotes, scilicet Salutationem Angelicam, Orationem Dominicalem, & Symbolum fidei vulgari idiomate. Hi sunt nouella germina sanctitatis, germen pium, flos, & fructus laboris vestri. Ideò monemus dictum Saluatoris nostri: Sinite paruulos venire ad me, talium est enim Regnum Cœlorum.

August. Ser. 1. in oct. Pasc.

5 Atque vt nemo ab hac exercitatione distrahatur, hortandi sunt parentes, & hi, quorum in potestate ea ætas est, nè pueros eo tempore distrahant, impediant, emandent, imò studiosè ex agris reductos ire cogant.

6 Quoniam autem maximo nostri animi mærore percepimus, in tota nostra Diœcesi adesse homines prouectæ, & ferè senilis ætatis, velatasque mulieres, quæ omnia rudimenta fidei pænitùs ignorant. Ideò Parochis expresse mandamus, vt totis ipsorum viribus, & conatibus hos maximè rudes, solùm, quæ in Symbolo fidei, & decem præceptis Decalogi, siuè confusè, siue ordinatè, in eorum mentibus inserant.

7 Qui famulos, villicos, ad excolendos eorum agros, animaliaque custodienda in forensibus detinent, hortamur, eorumque conscientias pariter grauamus, vt dictos forenses saltem de quindena in quindenam faciant ad Ciuitatem accedere, ac per totum Dominicum diem commorari, & ad Doctrinam Christianam audiendam mandent; cum quibus Parochi charitate compulsi, maximè vrgebunt, vt qui longiùs ab hominum frequentia morantur, eò magis virtutis disciplina, ac timore Dei muniantur.

8 Eos, qui Doctrinam Christianam edoceri renuerint, semel, & iterum moneant, & si neglexerint, (extra casum necessitatis) ad Sacramentum pænitentiæ non

admittant; forsitan hoc spirituali metu percussi ad tempus, ea, quæ ad illorum salutem pertinent, solertius addiscere curabunt.

9 Maior est cura circa adolescentiam adhibenda, ac sedulitas, lusores, blasphemos, fornicarios, impudicos, rixarum satores, obtrectatores, ebriosos, vsurarios, parentum percussores, pietatis contemptores, cinædos, & alios publicos peccatores, semel, iterum, tertio libere, sed secreto arguant, increpent. *Gal. 9. 25.*

10 Deinde in sacrificio Missæ rogent Deum pro istis, vt resipiscant, dicendo, curauimus Babylonem, & non est sanata: ideò illuminare his, qui in tenebris sedent, & dirige pedes eorum in viam salutis. *Ier. 51. 9. Luc. 1. 79.*

11 Volumus, vt vnusquisque Parochus perpetuo residеat, & per seipsum, & non per alios suæ Parochiæ inseruiat, vt vrgentibus suarum ouium periculis præsto sit, neuè earum salus (quod sæpè contingit) ob Medici absentiam periclitetur.

12 Infirmos quotidie visitet, & præcipuè acutis morbis laborantes, quibus secunda die ad Sacramenta ministranda sit sollicitus; & incrassante morbo, extrema vnctione corroboret; deinde in angonia sit continuus vsque ad animæ expirationem, verba diuina sæpè sæpiùs dicens, vt actum amoris in Deum moriens eliciat. *Matt. 25. 20.*

13 Videant tandem Parochi, ne ipsis obijci possit; paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Ier. Tren. 4. 4.*

CAPVT QVINTVM.

De Verbi Dei Præconibus.

1 QVI charitatem erga proximum non habet, prædicationis officium suscipere non debet. Quid sit autem ista charitas, ipse insinuat dicens, Dei videlicet amor, & proximi; primum tendit ad seipsum, secundum ad alios. *S. Greg. hom. 17. in Euang.*

2 Pri-

2 Primo curet suam propriam conscientiam non solum expurgari, sed per actus amoris ad Deum summè dilectum se iungi: Ardeat Orator, si Iudicem velit incendere, ne fortè aliquando ei dicatur. Peccatori, quare tu enarras iustitias Domini, & assumis testamentum eius per os tuum? Tu odisti disciplinam, & proiecisti sermones Domini retrorsum. Et non est speciosa laus in ore peccatoris. Hinc Concionatores hortamur, vt eo præsertim tempore orationi, deuotioni, virtutibusque reliquis instent, nè fortè, quod ore construunt, more destruant.

Psal. 49. 16.

3 Finem præ oculis semper habeant lucrifaciendi animas Deo, hinc annuncient Christum crucifixum, non in doctis sapientiæ verbis, pruritum aurium mulcientes, sed ad vitia fugienda, extirpanda, & euellenda acriter, insectent, & ad virtutes amplectendas dulciter, & suauiter eliciant, & disponant, vt possint tandem Domino dicere: quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Quibus respondebit Dominus: serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.

Matt. 25. 20.

4 Aduertant Vicarij, seù Archipresbyteri, si quid in concionibus alienum, aut aberrans à fide, vel à bonis moribus pronunciatum fuerit, vt ad nos eas propositiones fideliter scripto exceptas, quamprimum secreto transmittant.

5 Hinc scientiam necessariam habere se probent, & ad examen opportunè accedant, etiam si Regularis à suo Superiore examinatus approbationem ostentare possit: cui nec in sui quidem Ordinis Templis concionari fas est, nisi priùs ad obtinendam benedictionem coram nobis personaliter præsentato.

Sess. 9. *de ref. cap.* 2. *Gregor.* 15. *d.*

6 Indulgentias populo nè publicent; qualescumque sint, nisi de consensu nostro, qui, cognita earum validitate, firmabimus.

7 Tem-

7 Tempore prædicationis fores maiores in Ecclesia claudantur, & Missæ non celebrentur, neque horæ Canonicæ recitentur, etiam submissa voce, & Sacramenta non ministrentur, nisi vrgente necessitate.

8 In quadragesima nè fideles dum temporalia tractant, cœlestia paruipendant, statim vt concionis signum datur, vsque dum ipsa concio persoluatur, hortamúr cuiuscumque fori Iudices, vt in illa hora ius non dicant, nec iudicia exerceant: artifices itidem, & Mercatores, vt clausis Apothecis, ab operibus, & negotijs se abstineant, & tunc temporis Verbi Dei prædicationi interesse velint. Si ossa arida vocantur ad audiendum verbum Dei, eò magis viuentia? *Exod. 37. 5.*

9 Electio Prædicatorum, tàm in nostris Cathedralibus, quam in tota Diœcesi facienda est à nobis, prout antiqua viget consuetudo.

CAPVT SEXTVM.

De vita, & honestate Ecclesiasticorum.

1 VOS elegit Dominus, vt stetis coram eo, & ministretis, colatisq; eum, & cremetis ei incensum. *2. Part. 29. 11.* Grandis Dignitas Sacerdotum, grandior ruina, si peccant; cui plus creditur, plus ab eo exigitur. Vnde primo Dignitates, & Canonicos alloquimur; secundo, Sacerdotes; tertio, Clericos. Dignitates sunt Episcopi assistentes ad morum correptionem totius Ouilis, & Canonici sunt fratres. Vnde eos hortamur, vt tales se exhibeant factis, & dictis, eorum sermo sit scriptura Diuina conditus, habitus, & incessus sit in ædificationem populi, libros sacros sæpè reuoluant, & primi sint ad Diuina officia peragenda, nec se alijs immisceant, quia filij Israel commixti Babylonicis didicerunt opera eorum, inseruierunt sculptilibus eorum, & facti sunt in scandalum. *Psal. 105. 35.*

Exod.19. 2 Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sancti-
22. ficentur, nè forté percutiat eos. Sicut dixit Dominus Moysi, & ad vniuersum Clerum Apostolus ait. Militans
2. Ad Deo, negotijs Secularibus non se implicet. Ideo aliqua
Tim.2. præcepta salutis pro decore habitus clericalis,& honesta-
4. te vitæ ducimus hic apponere.

3 Nefas est Ecclesiasticis arma secularia habere, quorum proprium est, codices sacros continuò præ manibus portare. Ideò omnibus mandamus, vt si quis inuentus fuerit cum talibus armis à Bullis Pontificijs, ac Regijs Pragmaticis prohibitis, pęna erit ad remigandum per decem annos continuos in Pontificijs triremibus. Si verò talia arma domi tenuerint, in qua residebunt, per quinque annos luent in eisdem triremibus ad remigandum; cætera arma deferentes, nostro arbitrio seuerè plectentur.

4 Tranquillitati publicæ conuenit, vt nullus Ecclesiasticus audeat verbis iniuriosis, non solum inter se, sed neque cum Secularibus contendere, eò magis percutere, & vulnus facere sub pæna carceris, vel relegationis, pro qualitate delicti, & personæ; & si inter se manus violentas iniecerint, vltra pænam Canonis. Si quis. Constitutionem etiam Pij V. incurrant.

5 Noctis tempore sunt lacrymæ fundendę ad Deum,
Psal.118. sicut Psalmus dicit. Media nocte surgebam ad confiten-
62. dum tibi; & per singulas noctes lacrymis straui lectum
Psal. 6. meum. Hinc nostro maximo animi dolore percipimus,
7. aliquos Ecclesiasticos per Ciuitatem canere, vel aliquos associando, cantilenas facere; quibus mandamus sub pæna carceris per quatuor menses, nè euagentur per Ciuitatem, scandalum actiuum, & passiuum toti populo præbentes, sed antè duas horas noctis sint voluntariè domi reclusi. Et si aliqua iusta causa compulsi, tunc prælucente lumine, cum habitu, & tonsura clericali vadant

6 Do-

6 Dominus præcepit Moysi, dicens filijs Israel: qui se *Num. 6.*
voluerint Domino consecrare, ab omni, quod inebriari *2.*
potest, abstinebunt. Vos elegit Dominus in hæreditatem suam; ideò vinum, in quo est luxuria, fugiendum; Gryptæ, & Tabernę, vt venenum vobis esse debent; & *Sess. 24.*
qui secus fecerint, indignationem nostram habebunt. *cap. 12.*
Irruit præceps in Ægyptiacam Idolatriam Populus *de refor.*
electus ob crapulam. Sedit Populus manducare, & bibe- *Exod.*
re, & surrexerunt ludere. Ieiunium quadraginta dierum *32. 6.*
Moysi, vna strauit ebrietas. Aliorum periculo, nostra sit eruditio.

7 Hinc sequuntur furta, adulteria, sacrilegia, & similia: quapropter omnes Ecclesiastici in habitu sancto, vsque ad talos, tonsura, sine comis, absque pilis, & hirsuta barba, procul à ludis publicis, ac priuatis alearum, & taxillorum, & aliorum; ac etiam à Spectaculis, Comedijs, Laruis, à personatus incessu, Conuiuijs, Comessationibus, venationibus, alijsque illicitis. Nundinas nè frequentent, mercaturas, & illicitas negotiationes fugiant, laicorumue negotia minimè gerant, præterquam miserabilium personarum, habita tamen prius à nobis facultate. Prò alijs nè fideiubeant, præterquàm in Curia nostra. Nullius tutelam, curamue gerant, nisi pietatis causa, & de nostro consensu.

8 In Tribunali Seculari Procuratoris, aut Aduocati munus non suscipiant, neque illud adeant, nec in eo testimonium dicant, sine nostro præmissu, minusque querelas exponant, etiam citra pœnam sanguinis. Excipimus tamen in causis proprijs, propinquorum, & Ecclesiarum, dummodo à nobis, vel à nostro Vicario Generali id illis concessum fuerit, sub pœnis Sacrorum Canonum, & in Bullis Pontificijs contentis, nostro arbitrio augendis, & moderandis, secundum consuetudinem peccantium, & qualitatem criminum.

9 Non solum publicas meretrices domi habere in-

interdicimus (quod de ſtatu Sacerdotali minimè eſt credendum) ſed, & alias mulieres, de quibus haberi poteſt aliqua ſuſpicio mali, iuxta Tridentinum. A laicorum familiaritate aliquo nefario ſcelere, aut infamiæ labe coinquinatorum, exulum, ac facinoroſorum omninò ſe abſtineant.

10 Anulum nè deferant, niſi laurea Doctorali inſigniti, & illum deponant, cum Miſſæ Sacrum fecerint, ſub pæna amiſſionis anulorum, & alijs noſtro arbitrio, &c.

11 Libros inhoneſtos, & ſimilia manuſcripta, quę turpia ſapiunt domi nè retineant, neque legant, ſub pænis in arbitrio noſtro, &c.

12 Sacerdotes Vrbani ab hac Vrbe, & Diocœſani à loco, vbi reſident, abſque noſtra licentia, vel Vicarij noſtri Generalis in ſcriptis, plus triduo, nè abſint.

13 Quicumque Clericus ſeruitio Eccleſiæ aſcriptus, ſaltem Dominicis, & ſolemnioribus fæſtis conueniat ad ſuum munus exercendum, & qui non optemperauerit, vltra quod ad altiorem gradum non promouebitur, Clericali priuilegio non gaudebit. Quibus vltimò dicimus, ſeueritatem Iudicis amplexibus maternis temperabimus.

Vndè omnes rogamus, & toto cordis affectu precamur, vt noſtrum velint experiri amorem, non iuſtitiam, quaſi filij lucis ambulantes, antiquoſque ignorantiæ actus relinquentes, eo magis, quod omnia ſupradicta ad duo præcepta reducuntur, lumbos reſtringere, & lucernas ardentes in manibus tenere, vt ſciant, quod vnum ſine altero placere Deo omninò non poteſt, vt veniente tandem Domino, obuiam ei ire poſſint cum lampadibus accenſis.

Luc. 12. 35.
Matth. 25. 7.

PARS

PARS SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

De Sacramentis in genere.

1 NVnc ad Sacramenta describenda, nostra voluatur oratio; & quia sunt perpetui fontes vberrimi, non vt flumina Ægypti, sed Saluatoris Iesu Christi, de quibus vnusquisque haurit cum gaudio.

2 Sacramenta à Christo fuisse instituta, Catholica docet Ecclesia. Veteribus Sacramentis reiectis, quæ tantum gratiam promittebant ex opere operantis, idest in fide Christi venturi, at ista dant formaliter gratiam ex opere operato, homini obicem non ponenti, nullo respectu habito ad suscipientes, sed ad solius Christi merita, talem in Sacramentis efficaciam collocantis. Quamobrem illis longè Sanctiora, ac Diuiniora. *S. Amb. 1. de Sac. cap. 13.*

3 Per hæc enim omnis vera iustitia, vel incipit, vel augetur, vel amissa reparatur; sunt in rebus sensibilibus, quia homini sensibili sensibilia, & visibilia signa sensibus nostris exposita, gratiam elargiri dignatus est.

4 Sacramenta sunt septem, è quibus tria reiterari sine sacrilegio non possunt, scilicet, Baptismus, Confirmatio, &Ordo, eo quia imprimunt indelebilem Characterem in anima.

5 Ad omne Sacramentum ritè peragendum, requiritur necessariò omninò, materia, forma, & intentio.

6 Materia necessaria sunt signa sensibilia, vt in Baptismo, aqua, in Confirmatione, oleum, vt suis locis ad vnum quodque Sacramentum dicemus.

7 For-

7 Forma eſt illa, qua vtitur Eccleſia à Spiritu Sancto edocta in illis verbis, quando accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

8 Intentio requiritur tàm in miniſtrante, quam in ſuſcipiente, quæ debet eſſe ad faciendum id, quod Sancta facit Eccleſia, neque alia debet forma adhiberi.

9 Ritus adminiſtrandi, & conficiendi Sacramenta habetur in Rituali Romano, ab omnibus obſeruandus, cæteris omninò reiectis, ſub pœnis noſtro arbitrio.

10 Cum in Sacramentorum adminiſtratione, nedùm mores, ſed peritia requiratur; idcircò Parochi per ſeipſos, & non per ſubmiſsas perſonas adminiſtrent; hinc claues Sacramentorum apud ſe retineant, & cuſtodiant, & curent, nè in eorum adminiſtratione aliquod inconſideratè decidat, & auferatur, ad ſuperſtitioſa facienda.

11 Et vt maiori cum reuerentia Sacramenta conficiantur, & adminiſtrentur: præcipimus omnibus Miniſtris, vt eorum tempore ſint cum ſuperpellicijs, & ſtolis ornati, atque externa corporis ſpecie benè compoſiti, vt per conſpicuos corporis actus, interior piæ mentis affectus pateſiat.

12 Caueant nè in Sacramentis miniſtrandis, aliquid petant directè, vel indirectè, dùm Sacramenta abſque labe Simoniæ dari debent. Filij Heli quia capiebant car-
1. Reg. 2. 14. 34. nes ſacrificijs oblatas, vna die perierunt. In adminiſtratione Baptiſmi, & Matrimonij, ſi quid ſpontè oblatum fuerit, ſicut linteola, Mappæ, & ſimilia ſecundum conſuetudinem locorum, modeſtè accipere permittimus.

13 Neminem ad quæcunque Sacramenta ſuſcipienda permittant accedere, niſi armis offenſiuis priùs depoſitis, & corporis, & veſtium modeſtia, dignam Sacramentis reuerentiam præſeferant.

14 Studeant Parochi qua poſſunt conſcientiæ puritate Sacramenta miniſtrare, vt nè dùm in aliorum ſalutem illis vtuntur, ſibi ipſis æternam comparent perniciem.

Ideò

Ideò eos monemus, vt interna animæ dispositione, & confessione Sacramentali se præparent, & purgent, dùm Sancta, Sanctè tractanda sunt.

CAPVT SECVNDVM.

De Sacramento Baptismi.

1 HÆC Ianua Cœli est, ac nobis nascentibus filijs iræ itur ad Deum placatum. Hoc Sacramentum dicitur lauacrum animarum, atque sepulchrum criminum. Eius definitio: Baptismus est Sacramentum regenerationis per lauacrum aquę in verbo vitæ. Est ablutio corporis exterior, sub præscripta forma verborum; vndè dicit Augustinus: aqua ista corpus tangit, & animam abluit. *S. Basil. ad Bap.* *Tert. lib. de Bap.*

2 Materia huius Sacramenti, remota, est aqua elementaris, proxima, ablutio. Forma. Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Curandum autem, vt aspersio, & prolatio ita se inuicem comitentur, vt sibi vniantur ab initio ad finem. *Sess. 24. de Reform. cap. 2.*

3 Aqua quælibet elementaris, quamuis sit materia sufficiens ad conficiendum hoc Sacramentum; tamen Ecclesia eadem aqua multis alijs cæremonijs sanctificata solet vti, atque in proprium locum vult reponi, & singulis annis mutari.

4 Legitimus Baptismi Minister est Parochus, ac eo volente, quilibet Sacerdos; superpelliceo, & stola, nunc violacea, nunc candida, secundum ritum ornatus.

5 Obstetrices ad hoc Sacramentum ministrandum se temerè non immisceant, nisi in casu necessitatis, & sint à nobis examinatæ ad materiam, & ad veram formam, & dent nobis iuramentum de euitanda omni, & quacumque superstitione.

6 Præ-

6 Præcipimus, & in Domino hortamur parentes, nè detineant vltra octo dies ad summum filios suos ad huius Sacramenti susceptionem.

7 Infra domesticos parietes baptizari non licet, nisi graue vrgeat mortis periculum; quo casu si Sacerdos haberi non poterit, hic personarum ordo seruetur: Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Clericus, Secularis, Vir, Mulier, Obstetrix, vltimo loco, Pater, & Mater; quo casu quamprimum veniant ad nos, vt eorum conscientiam medeamur.

8 Susceptor, nec Regularis, neque Externus, aut quisquis obuius, sed debet esse cognitus, & honesti nominis Ciuis, qui puerum edocere possit ea, quæ Christi discipulum scire oporteat. Quamobrem arcendi à susceptione, qui rudimenta fidei ignorant; facinorosi, publici excommunicati, & aliqua infamia maculati, ac famosæ meretrices. Sacerdos peracto officio, moneat de cognatione spirituali contracta, iuxta doctrinam Sacri Concilij Tridentini.

Sess. 24. de Refor. cap. 2.

9 Caueant Parochi, nè infantibus nomina imponant veterum gentilium, sed Sanctorum, quorum patrocinijs & pijs operibus ad eorum imitationem accendantur.

10 Habeant Parochi librum, quem apud se custodiant, in quo propria manu nomina, & cognomina baptizatorum, eorumque parentum, & susceptorum, diem baptismi, mensem, & annum, iuxta formam à Rituali præscriptam, describant.

10 Fons Baptismalis ex marmore, seù ex lapide denso confectus, in idoneo loco, propè Ianuam Ecclesiæ sit repositus, cui operimentum ligneum in modum Piramidis sit, clauibus ferreis clausum, in cuius medio intus sit foramen secretum ad recipiendam aquam ablutionis baptismatis, & aliarum rerum Sacrarum, supra quo sit aliud vas ex terra alba, quod dicunt ex faentia confectum, in quo sit aqua propria baptismatis coopertum lamina stamnea.

13 Item

12 Item sacrum oleum, & Chrismatis in vasculis stamneis inter se aliquo signo distinctis cum panno lineo, & bombace ad extergendos digitos Sacerdotis, & Infantis caput, & cochleare saltem stamneo pro capienda aqua ad Baptismum conficiendum, sint reclusa in eadem Arca.

13 Admonendæ denique sunt à Parochis Puerperæ sub reatu peccati mortalis, nè infra annum Infantem in proprio lecto retineant, ob euidens suffocationis periculum; quod si vrgente paupertate id faciant, curent, vt inter Infantem, & Matrem lactentem aliquid interponatur, vt necis periculum omninò euitetur.

CAPVT TERTIVM.

De Sacramento Confirmationis.

1 SEcundum Sacramentum in ordine, est Confirmatio, sic à Patribus appellatum ex effectu; nam cum primo Christianus factus per Baptismum, nunc ad spiritualem pugnam, veluti miles sacra perunctione roboratur ad resistendum Diabolo, & tentationibus eius, qui solum latrare potest, sollicitare potest, mordere autem omninò non potest eum, qui isto sacro oleo solidatur.

2 Tanta enim istius Sacramenti est dignitas, vt non, nisi Episcopi manu conferatur, cuius materia est sacrum oleum Chrismatis, & forma. Signo te signo Crucis, &c. Locus vngendi, & signandi, frons est.

3 Confirmandum, decet non minorem esse septennio, vt memoria suppetat accepisse. Si adultus, qui peccati alicuius conscius sibi sit, se emendet, & emaculet, antequàm signetur.

4 Patrinus in hoc Sacramento præconfirmatus, vnus, aut vna pro sexu Confirmandorum esse debet, qui contrahunt eandem cognationem, vt in Baptismo.

5 Cætera in huius ſuſceptione Sacramenti ſeruanda erunt in Pontificali Romano, à quibus ſuperſedemus, quia adminiſtrationis eius tempore publicè ſolent, audituris omnibus, à Parochis recitari.

CAPVT QVARTVM.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

1 TErtium ordine, ſed primum dignitate. Sacramentum Euchariſtiæ eſt conſumatio, & perfectio Sacramentorum omnium, vt ait Dionyſius. Non enim riuulo, aut numero, aut menſura gratiam præſtat, ſicut cætera, ſed fontem ipſum, & caput omnis gratiæ habet, & largitur. Hunc locum in Sacramentorum annumeratione ſortitur, ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine, ſicut in conſtitutione naturali hominis, primo generatio eſt, tùm confirmatio quædam, & roboris acceſſio, tertio, cibus; ita in ſpirituali; generatio in Baptiſmo, robur in Confirmatione habetur; deinde ſequitur Euchariſtia, quæ eſt cibus, vt acceptæ vitæ, ac viriditatis ſit perfectio.

2 Euchariſtia eſt Sacramentum, in quo ſub ſpeciebus panis, & vini conſecratis, corpus, & ſanguis Chriſti continetur, ob nutrimentũ ſpiritualis vitæ in baptiſmo receptę.

3 Hoc Sacramentum licet habeat quid commune cum reliquis Sacramentis, reperitur tamen in eo quodam ſingulare, atque eximium. Siquidem cætera continent gratiam, cum quis eis vtitur, ſed in hoc verè, & realiter Chriſtus, fons omnis gratiæ, & ſanctitatis continetur; vnde flumina vberrima gratiæ præſtat, & donat, donec ipſæ ſpecies conſumantur.

Trid ſeſſ. 14. cap. 3. 4 Totus autem Chriſtus, & integra eius ſubſtantia ſub ſingulis cuiuſcumque materiæ ſpeciebus continetur, poſt Sacerdotis conſecrationem, ex vi verborum ad accidentia panis, & vini: Corpus autem cum ſanguine ſub vini ſpe-

cie adesse, & sub panis sanguinem cum corpore; animam autem cum vtrisque, sed, & Diuinitatem propter hipostaticam cum anima simul, & corpore vnionem vtrobique, certum, indubitatumque est.

5 Et licet Sacerdos (vt ait Ambrosius) in conficiendo hoc Sacramentum, personam Iesu Christi gerens, proferat aliam formam super panis, aliam super vini materiam, non duplicant Sacramentum, dum vnum tantum sub bina specie, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur; ratio est, quia vnus significatur, & continetur Christus ex carne constans, & sanguine, vna pariter assignatur gratia refectionis, instar, & conuiuij, quod nec conuiuium quidem est, nisi potus cum adipe sit, & hæc duo cum adsunt, illud esse vnum nunquam desinit.

6 Circa cultum, & venerationem, adhærentes Tridentino, hæc adijcimus. Sanctissimum in duabus Pixidibus argenteis deauratis custodiatur intra Tabernaculum, clauicula ferrea reclusum. Vna Pixis parua ad Viaticum infirmis ministrandum, alia sit stabilis, & vna saltem lampas sit in sacello continuò accensa. *Sess. 13. cap. 4. 6.*

7 Si super Altare custodiatur ad publicas communiones, candelæ duæ ad minus sint accensæ. Sex adminus ad orationes faciendas. Ad ægrotos progrediendum duodecim adminus intorticijs, & tempore brumali octo lanternæ hastatæ præferantur, quo tempore aliqua pompa facienda erit hoc modo.

8 Antequam procedatur, signo maioris Campanę conuocentur omnes ad Dominum deducendum, quibus funalia, lanternæ hastatæ, Vmbella gestatoria distribuantur; tum Sacerdos superpelliceo, & stola alba indutus, cum velo serico super humeros, Sacram adipem vtraque manu gestans, intra Vmbellam præeuntibus alijs, procedit, antè omnes Clericus cum tintinnabulo, & Cruce; post, vniuersa pompa, vltimò, Sacerdos intra gestatoriam Vmbellam, quam in nostra Cathedrali volumus, vt

quatuor Clerici cum cottis semper portent, qui cum Sacerdote sacra pignora portante, Psalmos, & Hymnos recitent, vniuersis capite detectis. Si quis in equo occurrat, descendat, & procumbat genibus flexis, vel pompam prosequatur.

9 Ad domum infirmi perueniens, vtatur illis precibus, & cæremonijs, vt in Rituali Romano, à propinquo ægroti statim perquirat, si conscientiam expurgauerit, si deglutire potest, & stomacho retinere Eucharistiam: quibus benè cognitis, Sacrum Viaticum præbeat, & deinde facta infirmo benedictione, in viam se donet ad Ecclesiam reuersurus eadem pompa. Vbi deposita Pixide super Altare, Indulgentias deducentibus, & redeuntibus concessas à Sanctissimis Pontificibus promulget, & benedictione impertita, Pixidem reponat in Tabernaculo.

10 Medici ægrotos nè visitent febricitantes continuos vltra tertiam diem, nisi Sacramenta recipiant, sub excommunicationis pæna ipso facto, & ipso Iure incurrenda. Sacramenta enim non solum animæ, sed & corpori sunt salutaria, ex Concilio Lateranensi, & aliorum Summorum Pontificum Bullis.

11 Amentibus si absit suspicio irreuerentiæ, Viaticum tribui potest; sed morti addictus, non quo die obeunda mors est, sed pridie hoc cibo confortetur.

12 Quoniam verò, neque decorum est, neque expediens, vt temerè quacumque hora Sacerdos ad hoc Sacrum opus progrediatur; horas diurnas statuimus, nocturnas verò negamus, nisi in repentinis, & magnis periculis, arbitrio Medici in scriptis probatis.

13 Ætas huic apta conuiuio, relinquitur iudicio Confessarij prudentis.

14 In Ecclesijs, cum frequentia Communicantium sit, seorsum sexus sint pro loci commoditate.

15 Meretrix si decubuerit, & panem Sacrum petierit, nè exaudiatur, antequam conscientiæ suæ, & famæ, &

scan-

ſcandalo, pto Confeſſarij, & Vicarij iudicio, conſuluerit. Obſecramus autem vniuerſos, & pio zelo mandamus, vt ſi talem ex morbo iacentem agnouerint, illico nos adeant, vt omnem lapidem moueamus, quo Miſellam ſtatus ſui pæniteat. Amaſij de eiuſdem domo oculis, ac mente pellantur, vt decet Ieſu Chriſti ſanguine redemptos.

16 Præceptum Eccleſiæ eſt, vt vnuſquiſque quotannis ſemel in Paſchate communicet, à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis in ſuis proprijs Parochijs, etiam Tertiarijs intra ſuas ædes commorantibus; quo in negotio Parochi cum omni ſollecitudine inuigilent; & qui ſecus fecerint, ad nos denuncient, cum quibus poſt Canonicas monitiones, ſi non ſatisfecerint præcepto, excommunicationis ſententia percutiemus.

17 Ab hac ſacroſancta menſa arceantur publici Excommunicati, publici Concubinarij, Blaſphemi, Vſurarij, Profligatiſſimi homines, & meretrices famoſæ, quorum acceſſus, ſine magno populi ſcandalo ſubſtineri nequit.

18 Denique inuigilent Parochi, ne in Sanctiſſimo aliquid immundè oriatur; Quapropter ſingulis hebdomadibus ad altius conſument, & iterum conficiant.

CAPVT QVINTVM.

De Sacramento Pænitentiæ.

1 HOC Sacramentum Scholaſtici vocant ſecundam tabulam poſt naufragium, ideſt poſt peccata commiſſa, ſubijciendo nos clauibus, iterum iungimur Deo. Pænitentia eſt nomen virtutis, & nomen Sacramenti; virtutis, dum dolemus de peccatis commiſſis, quatenus ſunt offenſa Dei ſummè dilecti, ex aliquo motiuo ſupernaturali, Sacramenti, dum reconciliamur Deo virtute clauium de commiſſis culpis.

2 Materia huius Sacramenti, remota, & necessaria, sunt peccata mortalia, sufficiens, venialia. Materia verò proxima, ex qua componitur tanquam ex parte Sacramentum, est dolor de commissis, & eorum confessio, cui accedit tanquam forma absolutio Sacerdotis, in illis verbis posita. Ego te absoluo, &c.

3 Modus procedendi in hoc Sacramento iudicialis est, etenim Sacerdos est Iudex, Pęnitens Reus, Accusatio Testis, Absolutio sententia, Pœnitentiæ impositio est satisfactio, quę est tertia pars, hoc Sacramentum integraliter quidem, sed non essentialiter constituens.

4 Ergo in Sacerdote præter potestatem clauium, potestas requiritur Iurisdictionis, quæ etsi cum Sacerdotio nexum habeat insolubilem, tamen à nutu Ordinarij pendet, quia ad Ius dicendum requiritur scientia.

5 Itaque nulli Sacerdoti, tam Seculari, quam Regulari, nisi præmisso examine per examinatores nostros, & nostra inscriptis approbatione iurisdicendi, seù absoluendi potestatem facimus. Si quis absolutionem absque his cuipiam (extra mortis articulum) impertiuerit, præterquam, quod irritum cum grandi sacrilegio Sacramentum facit, sciat se in pœnam Excommunicationis latæ sententiæ corruisse, quam nos nunc pro tunc illatam esse pronunciamus.

6 Caueant Confessarij, ne inconsideratè, & præcipitanter ad absolutionem defluant, cognoscant primum dolorem, seu attritionem necessariam, diligens examen factum peccatorum, emendationem in posterum futuram, satisfactionem in re, aut in fama proximo faciendam, integritatem Confessionis, & demum, de circumstantijs omnibus seruandis seruatis. Quibus perspectis, aut absoluant, aut abstineant pro recto eorum iudicio.

7 Qui mulierum confessiones, sine superpelliceo, & stola ad collum, & extra Crates audierit, ipso facto suspensus sit à confessione.

8 Præ-

8 Præceptum Ecclesiæ est de confessione facienda saltem semel in anno: vnde quisquis tenetur, qui conscium criminum se esse nouerit expurgare, & in ea ætate, qua malitiam, offensamque Dei valeat cognoscere: & qui inobediens erit, post nostras Canonicas monitiones, Excommunicationis pæna percutietur. *Cap. Omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss.*

9 Quoniam verò Medici est, seueriori nonnunquam vti medicamento ad profligandum inualescentem morbum; propterea nos, quibus animarum valetudo in manus commissa est, vt grauioribus quibusdam facinoribus, veluti frænum immittamus, & peccatores à culpis se abstineant; re in Domino considerata, iuxtà Sanctissimorum antiquissimorum Pontificum vsum, censuimus peculiares quosdam casus reseruatos, sicut de facto solis nobis reseruamus. Quapropter volumus, vt in singulis Confessionarijs sint notati, & sunt, qui sequuntur.

1 Raptores Virginum.

2 Incæstuosi in primo, & secundo gradu.

3 Sodomiticum scelus committentes, vel cum bestijs coeuntes.

4 Maleficia, sortilegia, & superstitiones exercentes, præcipuè cum Sacramentorum, vel Sacramentalium abusu.

5 Colloquutio cum Monialibus, vel cum alijs commorantibus intra septa Monasterij de turpibus, etiam per literas.

6 Abstrahentes, vel qui abstulerunt quascumque scripturas à nostro Archiuio.

7 Deponentes falsum, vel verum tacentes coram Iudice in præiudicium alterius, vel falsas fides facientes, aut mandantes subscribi in præiudicium proximi.

8 Conficientes, vel euulgantes famosos libellos, eisque auxilium, & consilium præstantes.

9 Blasphemi contra Deum, eiusque sanctissimam Matrem, & Sanctos, & Sanctas, ac etiam contra mortuos.

10 Et

10 Et quia nos alio occupati, statuimus per totam Ciuitatem Melphiæ, nostramque Diæcesim R R. Sir Hyeronimum de Amatis Thesaurarium, & Hyacintum Cerasa Canonicum nostræ Cathedralis, summos Pænitentiarios ad absoluendos hos casus diuisim, cum facultate eamdem auctoritatem elargiendi Confessarijs singulis vicibus.

11 Confessionem nemo audeat extra Ecclesiam audire; & si aliquando domi contingerit, id fiat infirmitatis causa; sub pæna suspensionis ipso facto incurrenda à confessionibus.

12 Hortamur, obsecramus, & auctoritate, qua fungimur, in Domino monemus omnes Confessarios, Seculares, & Regulares, vt hoc Sacramentum cum omni modestia, sanctitate, & puritate conficiant. Hinc nemo accedat ad hoc Sacramentum fidelibus ministrandum, graui inquinatus macula, & si quam fortasse habeat, prius confiteatur, vel saltem aliquem actum eliciat contritionis, ita quod existimet se esse contritum.

13 Decreta Summorum Pontificum, & Sacræ Supremæ Inquisitionis super sollicitantes pænitentes, non solum in Confessionibus, verum etiam in loco Confessionum, credimus omnes nosse. Ideò omnibus dicimus, qui stat, videat, nè cadat. Modus procedendi in similibus, ac etiam pænam, videant in eisdem Decretis.

CAPVT SEXTVM.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

Marc. 6. 13. 1 HOC Sacramentum fuit à Christo Domino institutum, quando mittens binos Apostolos ad prædicandum, ipsi exeuntes prædicabant, vt pænitentiam agerent, & infirmos vngebant oleo, & sanabantur; & per Diuum Iacobum Apostolum fuit publicatum.

catum. Est vnum ex septem Sacramentis, & distinctum à cæteris.

2. Effectus huius Sacramenti est abstersio reliquiarum peccatorum, confirmatio, & robur animæ laborantis in vltimis vitæ periculis, contra communes inimici insultus, ac etiam sæpè sæpius corporis sanitatem elargitur.

3. Materia huius Sacramenti, remota, est oleum ab Episcopo consecratum, & ex precepto debet esse vnius anni: proxima, est ipsa vnctio talis olei per Sacerdotem, & ex consuetudine per modum Crucis, licèt non sit de necessitate Sacramenti, nec inuocatio Sanctissimæ Trinitatis, attamen est necessarium ex præcepto Ecclesiæ.

4. Forma est ea, qua communiter vtitur Ecclesia, nempè, per istam Sanctam Vnctionem, &c. Aduertant, quod forma, & materia debent esse simul, idest vngendo illam partem corporis, pronuncient formam. Sacerdotis manus, non in palma, sed in aduersa parte vngantur. Renes in fæminis non vngantur propter honestatem, etiam in maribus omittantur, quando commodè moueri nequeunt. Denique in huius Sacramenti administratione ea sunt seruanda, quæ Rituale Romanum præscribit. Sess. 23. cap. 23.

5. Vnctio fit in quinque partibus corporis, propter quinque sensus, nempè, in oculis, auribus, naribus, ore, & manibus. Aliæ autem vnctiones, scilicet in renibus, & pedibus, quæ decentius in fæminis omittuntur, non sunt de necessitate. Et quamuis ex consuetudine Ecclesiæ duplex vnctio fiat in quolibet sensu duo organa habente, sub vnica forma, tamen id non est de necessitate Sacramenti, dum vrgente periculo, sufficeret vna in quolibet sensu, & si infirmus careret illa parte, in qua vnctio recipi debet, vngatur in parte viciniore. Prouerb. 21. 14. Psal. 9. 21.

6. Sacramentum hoc adultis in probabili vitæ periculo ex ægritudine est conferendum. Pueris autem, qui S. Thom. 3. p. q. 65. art. 1.

Eucharistiam nondum susceperint, sicut; & amentibus, qui non habuerint lucida interualla, ac etiam supplicio dandis, hoc Sacramentum nullo pacto conferatur.

Increpamus eos, qui in vltimo mortis articulo sensibus destitutis, Sacramentum hoc volunt, dùm nullum amoris actum in Deum possunt elicere. Hinc hortamur, vt id adhibeant, quando sensibus integris, spem in Deum commodè erigere possunt.

CAPVT SEPTIMVM.

De Sacramento Ordinis.

1 SAcramentum Ordinis, nulli dubium est, à Christo Domino institutum fuisse, ita declarauit Sancta Tridentina Synodus. Est enim vnum ex illis, quæ Characterem imprimunt indelebilem in anima, & sic sine sacrilegio reiterari non potest. Et licet in Sacramento Ordinis sint septem Ordines distincti, quibus, veluti per gradus ascenditur ad Sacerdotium, constituunt tamen vnum totale, & perfectum Sacramentum in Sacerdotio.

Seß. 23. cap. 23.

2 Hoc Ordinis Sacramentum est simpliciter necessarium ad Rempublicam Christianam. Nam sine Rectore corruet Populus. Et Regius Psalmista Dominum rogat, vt constituat legislatorem super Populum suum. Sacerdotes enim nauem istam Ecclesiasticam regunt, dum animas totius Christiani Ouilis, Sacramentis pascunt, regunt, & custodiunt. Recipiunt enim in Baptismo, fortificant, & quodam robur tribuunt in Confirmatione, pascunt Cælesti pane in Sacramento Eucharistiæ, & si deinde per culpam cadunt, erigunt per Pænitentiam, Rectores ad nauis gubernium in Sacramento Ordinis, ad propagandum genus humanum, Matrimonio

Prouerb. 11. 14. Psal. 9. 21.

S. Thom. 3. p. q. 65. art. 1.

coniungunt, & vsque ad finem vitæ corroborant per Extremam Vnctionem.

4 Nunc pro singulis Ordinibus suscipiendis, aliqua nenessaria notabimus.

5 Primo omnes, qui militiæ Ecclesiæ mancipari volunt, coram nostris Examinatoribus se præsentent, cum eorum testimonialibus. Tonsurandi cum Baptismi, & Confirmationis testimonio, ac etiam cum eorum Parochorum testimonio bonæ vitæ, & famæ, non iudicii Secularis fugiendi causa accedere; sciant legere, & scribere, & in ætate, vt secundum attingant lustrum.

6 Ad quatuor minores Ordines, aliqua maiori ætate prouectiores, ac scientia latinæ linguæ, & morum honestate sint præditi; bonum à proprio Parocho, & magistro testimonium in scripto ferant, & Ordinis suscepti testimoniales: item sui ministerij in Ecclesia designata præstiti, ac etiam frequentiæ Sanctissimi Sacramenti.

7 Ad Subdiaconatus gradum, ante vigesimum secundum annnm inchoatum nemo promoueatur. Ad Diaconatus, antè vigesimum tertium annum inceptum, & ad Presbyteratus, qui non ingressus fuerit vigesimum quintum ætatis annum; in quorum ætatum defectu, non est nostrum dispensare.

8 Promouendi ad Subdiaconatum, sint multiplici scientia præditi, & quod officium Diuinum iam sciant ordinatim recitare; quorum patrimonium sit non minoris triginta ducatorum annui redditus, deductis expensis, super bonis stabilibus, ab omni onere exemptis, & liberis, & quod omni fraude cessante, realiter, & vsu possideant, quod nunquam sub quouis prætextu alienare possint, & valeant, absque nostra licentia, sub pœna suspensionis ab exercitio Ordinis suscepti, & alijs nostro arbitrio.

9 Et quia in nostra Cathedrali Melphiæ est quædam consuetudo, vt Clerici ad Subdiaconatus Ordinem

promoueantur ad titulum futuræ Maſſæ Capitularis, à noſtris Anteceſſoribus probata, ac etiam à Superioribus noſtris confirmata, nos in ſuo robore relinquimus. Volumus tamen, quod ex iſtis nemo accedat ad examen abſq; fide Procuratoris Capituli eſſe tali ſeruitio aſcriptum; cæterum literas teſtimoniales ſui proprij Parochi ferant præſcriptas in Pontificali Romano, & ſic examinentur in miniſterijs, in fidei compendio edocendo, in cæremonijs Eccleſiaſticis obeundis, in Concilio Tridentino, in Catechiſmo Romano, & Miſſale declarando, non omninò ignari, & demum in recta vocum pronunciatione, & expedita lectione præcellant, & ſi polleant rubricis generalibus Breuiarij Romani.

10 A proſtremi Ordinis minoris ſuſceptione, niſi poſt annum Eccleſiaſticum, non promoueantur ad Ordinem Sacrum, niſi neceſſitas Eccleſiæ iudicio Epiſcopi aliud expoſcat. Interſtitia ex vno Ordine ſuſcepto ad altiorem ſeruari oportet, niſi aliter Epiſcopo videatur.

11 Diaconi accedant cum ſuis literis ſolitis commendatitijs, & in ſupradicto examine ſe probent.

12 Sacerdotes examinentur ſuper Rubricas generales Miſſalis, ac etiam in aliquibus caſibus Theologiæ moralis.

13 Sacerdotes iam promoti, non accedant ad Altare celebraturi, niſi cæremonijs exquiſitè præacceptis, hiſq; à Magiſtro cęremoniarum approbatis, à nobis poſtea facultatem acceperint.

14 Alienæ Dięceſis ad Ordines minores, vel maiores non admittantur, niſi ab examinatoribus noſtris ſint cogniti; eorum literæ dimiſſoriales à ſuis Ordinarijs nobis directæ ſint. Ita etiam de Regularibus, quia Superiorum ſuorum literæ dimiſſoriales, per teſtes fide dignos cognoſci, & verificari debent.

CAPVT

CAPVT OCTAVVM.

De Sacramento Matrimonij.

1 OMnipotens, & misericors Dominus, misertus humani generis, ne periret, Sacramentum Matrimonij instituit, vt quod antea erat ad culpam, nunc verteretur ad gratiam. Quapropter hi, qui hoc Sacramento vsi fuerunt, non solum gratiam pro seipsis acceperunt, verum etiam, & in generationibus suis fuerunt benedicti, ita vt multas stellas lucentes in illa sempiterna Patria collocarint. Sacramentum hoc à Christo Domino fuit institutum, primo, ad prolem procreandam, secundo, ad remedium concupiscentiæ.

2 Materia, & forma sunt mutuus consensus contrahentium. Nam primus consensus dicitur materia; alter dicitur forma. Ergo si ipsi contrahentes conficiunt Sacramentum, necesse est, vt ipsi sint in gratia eo tempore, quo conficiunt, vt possint deinde gratiam concomitantem habere, & mereantur videre tertiam, & quartam generationem. *Tob.* 9. 11.

3 Modus, quo quis vti debet, vt Sacramentum hoc recipiat ad salutem, legat historiam Tobiæ in sacris literis, *Tob.* 8. vt benè illi sit in præsenti, & postea in futuro. Hæc ad contrahentes, nunc ad Parochos, ex præcepto Ecclesiæ assistentes.

4 Parochi calleant omnia, & singula impedimenta matrimonij, tam ea, quæ contractum dirimunt, quam, quæ impediunt contrahendum. Item ad quorum gradum se extendat cognatio, vel affinitas, ex licita, vel illicita coniunctione promanans; etsi quid dubij erit, consulant nos, qui cum peritis, & doctis hominibus respondebimus, quid erit faciendum.

6 Matrimonio præeunt tres denunciationes, in tribus

diebus

diebus fæstiuis in Missa, vbi maior frequentia populi erit, quas debet præcedere à Parocho eorum consensus, si velint denunciationes inchoari, si sint in aliquo Religionis, vel castitatis voto, vel quouis impedimento inuoluti. Quam eorum responsionem scripto receptam, ad Vicarium nostrum Generalem deferri curent, vt facultate potiantur denunciationes inchoandi. Quibus expeditis, si nullum impedimentum obstet, Matrimonium in facie Ecclesiæ, coram Parocho, & duobus testibus ad minus, in eorum Parochiali Ecclesia instituatur intra Missarum solemnia, & benedictione solemni accepta, cum gaudio coniuges domum redire queant.

6 Si ob rationabiles causas domi celebrare necesse sit, nostra erit expectanda facultas, qua obtenta, sub pæna Excommunicationis mandamus, vt infra decimum quintum diem ad Ecclesiam publicè accedant, benedictionem à proprio Parocho accepturi.

7 Si contrahentes conterranei non sint, sed Diæcesani, Curatus, qui matrimonium coniungere debet, alterius Curati scriptis testimonium habere debet libertatis, vt in nomine Domini iungat.

8 Aliquorum genus hominum, atque etiam, qui vitam ducunt in agris, aut in syluis, iubemus, vt antè eorum contractionem, examini se subijciant, de fidei nostræ rudimentis, de Oratione Dominica, Salutatione Angelica, & de Apostolorum Symbolo, vulgari idiomate, quæ si non calluerint, contrahere non permittant.

9 Qui propter absentiam diuturnam alicuius coniugis, de cuius vita ignoratur, & noui coniugij desiderium habeant, non prius admittantur, nisi eorum solutio per fide dignos testes in nostra Curia probetur, iuxta Decreta Sacræ Congregationis. Idem dicitur de Exteris, & Aduenis.

10 Curato pęna suspensionis ipso facto iniungetur, si denunciationes inchoabit, antequam de ætate coniugum

ad

ad contrahendum requisita, perquirat, & cognoscat, quatuordecim iam annos Sponsum, Sponsam verò duodecim compleuisse.

11 Si quod inter denunciationes impedimentum detectum fuerit, ad nos veniat, & nè delatores fraudulenter veniant, eos pœna Excommunicationis latæ sententiæ compescere censemus.

PARS TERTIA.

CAPVT PRIMVM.

De Diuinis Officijs.

3. *Reg.* 10. 8. 1 REgina Sabba beatos eos esse dixit, qui assistebant quotidie, & loquebantur Salomoni. Longè feliciores eis nos esse censemus, non semel, aut bis, sed terque, quaterque beatos, dum non vnas, sed septies in die laudes Deo dicimus. Quapropter omnes monemus, ac toto cordis affectu rogamus, vt quod ore dicitis, mente reuoluatis. Eorum desperanda est salus, qui cibum in stomaco non retinent, si verbum Dei, quod in nostris metipsis cordibus seminamus, mente non frangimus, & continuis lachrymis conpunctionis non irrigamus, profectò fructum dignum Deo pręsentare nequibimus. Hinc Mater Ecclesia nos astringit, (qui domestici, & intimi Dei dicimur) ad Diuinum officium recitandum septies in die, clarè, & attentè. Quapropter ad Diuina officia ritè persoluenda, aliqua dicamus, non solum, vt pręcepto Ecclesiæ satisfaciamus, sed, vt vberiorem fructum faciamus.

2 Naturali ductu omnes tenemur continuo largitori Deo gratias agere. Hinc Ecclesia omnibus præcipit semper orare, quod præceptum cadit in communi, non deueniendo ad particulares orationes; & sic quilibet homo potest huic præcepto, vnico mentis actu ad Deum satisfacere. Sed nobis, qui supra alios elegit in hæreditatem suam, præcipit Psalmodiam diurnam, & nocturnam, quæ continetur in officio Diuino Romano persoluendo, iuxta Rubricas generales Breuiarij. Igitur omnes in

Sacris Ordinibus constituti tenentur quolibet die persoluere totum Officium integrum assignatum.

3 Duplex est recitandi Diuini Officij modus, publicus, & priuatus, priuatus, nullus statuitur locus, esto tamen ab hominum frequentia, tumultu, negotijs, ludis, alijsque huiusmodi segregatus.

4 Attentio intenta, pronunciatio expressa, & articulata, verba non trunca, neque extremis Syllabis suffocata, recitatio non interrupta, non tarda, neque propera, nè quando dicatur illud Chrysostomi: Tu non audis vocem tuam, & Dominum vis audire precem tuam? *Hom. 17. in var. loc.*

5 Matutinum quantum poterit antè Missæ celebrationem recitetur, tùm reliquæ horæ antè prandium. Vesperę post prandium, nisi aliter notetur ab Ecclesia, vt in Quadragesima.

6 Publicè canendi locus est in Ecclesia, in Choro, modus autem erit sequens.

7 Vltimo dato Campanæ signo, omnes conueniant in Sacristiam, relictis pileis, & mantellis, induant se cotta, & bireto, Dignitates, & Canonici cum eorum Almutijs coloris violacei, & Parochi nigri, & sic parati, bini accedant ad Chorum, vbi facta prius Cruci reuerentia, vnusquisque ad suum stallum ascendat, & expectet signum à Superiore Chori, quo dato, Hebdomadarius officium incipiat.

8 Ferialibus diebus, simplicibus, & semiduplicibus, fæstiuis, recitetur voce alta, pausata, & intelligibili.

9 Diebus Dominicis, & duplicibus eodem modo, sed cantent Te Deum, & Benedictus cum Antiphona, & Oratione.

10 In duplicibus secundæ Classis, canendo incipitur per totum Hymnum primum, & postea Matutinum recitetur. Laudes cantentur.

11 In fæstiuitatibus primæ Classis, totum cantetur. Horæ semper recitentur. Vesperæ post prandium cantentur

12 In ferialibus diebus Quadragesimæ, quando dicuntur antè comestionem, recitentur, & duplicia cantentur. Completorium semper cantetur.

13 Ad Matutinum, ad Primam, & ad Completorium, absolutiones, & benedictiones semper dentur à prima Dignitate, ea deficiente, à secunda, & successiuè.

14 In festiuitatibus primæ Classis, Nos Hebdomadarij officio fungemur, & aliquando impediti, Cantor nostras vices supplebit. In secundæ Classis, tres Dignitates per circulum. In Dominicis, & duplicibus, Canonici per circulum. In simplicibus, ferialibus, & semiduplicibus, Sacerdotes simplices.

15 Lectiones in Matutinis primæ Classis cantentur ab antiquioribus Canonicis, & Dignitatibus, & vltima à nobis. In secundæ Classis, recitentur primæ tres à Sacerdote participante, quinque aliæ à Canonicis, vltima ab Hebdomadario. In Dominicis, sex lectiones à Sacerdotibus, & tres vltimæ à Canonico Hebdomadario. In semiduplicibus, primæ tres à simplici Sacerdote, secundæ à Sacerdote participante, tertiæ ab Hebdomadario. In simplicibus, & ferialibus, tres lectiones ab Hebdomadario.

16 Nemo discedat à Choro absque licentia Superioris Chori, ita etiam nec commisceantur colloquia priuata, neque quis à sua sede discedat, nec tabaccum quis accipere audeat. Quæ omnia præcipimus sub pæna suspensionis ipso facto incurrenda, nostro arbitrio duratura.

17 Cæterum peruetustam consuetudinem in Choro laudamus, dum ad Psalmodiam diurnam omnes diuiduntur per tres Dietas. Prima Dieta erit Cantori, secunda Primicerio, tertia Thesaurario cum suis Presbyteris, & Clericis assignatis. In diebus Dominicis, & fæstiuis ex pręcepto, omnes tenentur ad Chorum.

18 Et dum in Choro qualibet Hebdomada, die Dominico post Vesperas, publicè à R. Sir Hyacinto Cerasa

Canonico nostræ Cathedralis in S. T. apprimè versato, & erudito leguntur casus conscientiæ; rogamus, & obsecramus omnes Parochos, & simplices Confessarios à nobis approbatos, veline dictæ lectioni pro viribus assistere. Alijs Sacerdotibus non dum confessionibus expositis, præcipimus sub pæna suspensionis ab ordinum exercitio, assistentiam dictę lectioni, & eam postea ruminent domi, itaut processu temporis, se reddant idoneos ad Confessiones audiendas. Tamdiù aquam arboribus infundimus, quoadusque incalescere videantur. Nam quales herbas in horto plantamus, talia semina germinabunt.

Sess. 5. cap. 1. de Reform.

Bonau. de profectu Religion. cap. 58. lib. 2.

CAPVT TERTIVM.

De Punctatoribus.

1 MOyses fecit Tribunos, Centuriones, & Decanos ad iudicandum populum in minoribus, & maiora referrent ad eum. Nos alio occupati, quotidie Choro inseruire nequibimus.

Exod. 18. 22.

2 Punctatores permittimus, vt notent eos, qui à Choro aliquando deficiunt. Et qui quotidie absunt, referant ad nos. Punctatorum officium erit, statim atque electi à Capitulo fuerint, coram nobis juramentum præstare, munus suum fideliter exequuturos, sine exceptione alicuius personæ. Et vt fidelius, & commodius muneri suo satisfacere possint, semper Diuinis officijs interesse debent, & non per relationem aliorum punctare queant. Si aliqua causa ab Ecclesia abeundum erit, aliquem substituant ex Massa Capitulari, qui eorum vices interim præstet.

3 Adnotent singulis eorum absentias à Choro in libro separato, vt cum Episcopus, siue eius Vicarius voluerit suam diligentiam in suo munere recognoscere, in

promptu facere posſint. Librum punctationum non oſtendant in Choro, ſed ſecretè penes ſe retineant, ne rixæ, & tumultus excitentur.

4 Omnes diſtributionum mulctas in illorum vtilitatem cadere decernimus, qui Choro interſunt, vt qui maiorem operam magis, magiſque continuam in Diuini cultus aſsiduitate ſeruauerint, maiora (vt par eſt) commoda ſentiant. Et vt iuſtitia ſeruetur, volumus hoc ſequenti modo punctentur,

5 In Matutino, poſt primum Pſalmum. Ad Primam, poſt Hymnum. Ad Miſsam, poſt Introitum. Ad Veſperam, poſt primum Pſalmum.

Die nona Settemb. 1628. 6 Et quia ex Decreto Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, duos ex Capitulo à diurno ſeruitio Chori eximere poſſumus, vt nos continuis curis adiuuent. Hinc Reuerendum Sir Ioſephum Antonium Parrinum Cantorem hodiernum ad generalem æconomiam noſtræ Menſæ Epiſcopalis deſtinatum, & R. Abbatem Carolum Moncellum Canonicum Rapollen. noſtrum Procuratorem generalem per totam Diæceſim, ab onere Chori immunes facimus. Verùm ante eorum oculos ponimus, vt illis horis, quas actuali ſeruitio noſtro non applicant, Choro aſsiſtent, ſicut ab eorum pijs conſcientijs ſperamus.

CAPVT TERTIVM.

De Dignitatibus.

Eccleſ. 6. 37. 1 SPiritus Sanctus ſingulis vobis loquitur. In mandatis illius aſsiduus eſto, & ipſe dabit tibi cor, & ſapientiam. Dignitates in Cathedralibus ſunt fundamenta, & baſes, ſupra quas ſtat totum ædificium Eccleſiaſticorum. Debent continuò Epiſcopo aſsiſtere, non ſolum in functionibus Eccleſiaſticis, ſed, & in moderandis ouium moribus, eorum prudentia, & doctrina conſulere.

Hinc

Hinc ſapientes, vel graduati in ſcientijs eſſe debent, vt quod ore dicunt, ratione, & authoritate, Canonum, & Sanctorum Patrum confirment. Vnde decreta Epiſcoporum exequutioni mandare curent, dum eorum conſilijs condita fuerunt. Hæc in generali, nunc ad particulares.

2 Cantor eſt prima Dignitas in noſtra Cathedrali, differt ab Archidiaconali Dignitate ſolum nomine, ideò in eius abſentia dicitur oculus Epiſcopi. In Epiſcopalibus functionibus, nobis impeditis, vices noſtras ſuppleat. Et cum ſit oculus Epiſcopi, præſtare debet, vt Diuina officia in Choro, cum debita pietate celebrentur. Singulos miniſtros de ſuis muneribus amanter moneat. Quæ legenda, aut canenda, iuxta Rubricarum diſpoſitiones ſint accommodata, præſertim in ſolemnibus functionibus, vt Diuinus cultus decorari poſsit.

3 Errantes, vel in aliquo deficientes in Choro, cum charitate corrigat; quapropter omnes ei obediant ſine murmuratione, replicatione, vel contraditione aliqua. Et ſi quis contumax, & inobediens erit, in pænas ſuo arbitrio incidet. Si autem res grauis erit, ad nos citiſsimè referat, vt de opportuno remedio prouidere poſsimus.

4 Solerter animaduertat, vt Diuina officia ſtatutis horis recitentur, & Sacriſtæ modum, ac tempus præſcribat, à quo vnius, vel plurium Campanarum, iuxta conſuetudinem, ad celebrandas fæſtiuitates, ſigna dentur.

5 Cum Sacri Ordines ab Epiſcopo publicè conferuntur, ſui muneris erit, ordinandos Epiſcopo præſentare, & approbare. Vnde prius inquirat vitam, mores, & conditionem, ac etiam ſcientiam eorum, qui Sacris Ordinibus initiandi erunt, & ſic dignos Epiſcopo in Eccleſia præſentabit.

6 Secunda Dignitas eſt Primicerius, qui cum ſit Cantori proximus, Cantore abſente, eius officium in omnibus ſuppleat. Eius tamen ſpecialis cura erit, vt Eccleſiæ

Capitulo vnitæ, rectè custodiantur, & secundum necessitatem reparentur, & reficiantur à Capitulo. Si verò Capitulum negligens fuerit, nos certiores faciat pro remedio.

7 Tertia Dignitas est Thesaurarius, cui propriè incumbit Vasa Sacra, & suppellectilia serica, aurea, & linea custodire, vt pura, & nitida appareant. Hinc Inuentarium omnium apud se habere curet, & in qualibet visitatione nostra ostendat.

8 Ne permittat, vt aliquod horum extra Ecclesiam deferatur, etiam pro seruitio alterius Ecclesiæ. Vota argentea, vel alia, si qua erunt, quæ à pijs fidelibus Beatæ Virgini Mariæ, vel alijs Sanctorum Imaginibus deferuntur, custodiat.

9 Item eius curæ erit, proprio sumptu funes, seu Canapes oblongos pro Campanis Ecclesię pulsandis prouidere, cum propter hoc, nonnulla emolumenta præ cæteris Dignitatibus percipiat. Et tandem Sacristarum defectus, corrigere, & emendare curet, qui si inobedientes erunt, nobis, aut nostro Vicario Generali referat, dum suæ Dignitati subsunt.

10 Quarta, & vltima Dignitas est Vicecantor, cui incumbit regere (Cantore absente) cui omnes obedire tenentur, non amota cæteris Dignitatibus authoritate in Choro præsentibus. Quibus omnibus separatim, vel diuisim mandamus, ac facultatem damus corrigendi, ac emendandi seditiosos, & inobedientes, quatenus opus erit, carceribus mancipare ad eorum libitum, ac fructuum distributiones sequestrare. Quæ omnia raro, & cum charitate fiant, ita vt errrorem puniant, non hominem.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De Procuratore Capituli.

1 APostoli nè vacarent ministerio, ad quod electi erant, elegerunt aliquos, qui ministrarent mensis. Vos elegit Deus, ad Diuinam, & continuam Psalmodiam in Choro; vndè necesse erit, ex vobis aliquem vacare Choro, vt possit quotidiano, ac necessario victui ministrare. Talis erit Procurator Capituli, quem, vt benè ministret, à Choro eximimus; qualis debet esse, Euangelista dicit: plenus Spiritu Sancto. *Acta Apost. 6. 3.*

2 Quapropter cum talis electio ad Collegium Canonicorum, & ad Presbyteros participantes spectet, eos hortamur, vt eligant participantem non meliorem, sed optimum. Qui electus, in manibus nostri Vicarij Generalis pręstet juramentum de benè, & fideliter administrando totam rem familiarem massæ Capitularis, & Vicarius deindè ei faciat præceptum de non congregando Capitulo absque nostra scientia, sub pæna suspensionis à Diuinis ipso facto incurrenda, cum Nos, vt totius Capituli caput, necesse habeamus scire singula eiusdem Capituli, & interesse omnibus simbleis, vt statim prouidere posśimus necesśitatibus.

3 Archiuium, & sigillum Capituli stent tribus clauibus reserata diuersis; vna sit apud Cantorem, vti primam Dignitatem, alia apud Archiuarium electum ab eodem Capitulo, & alia apud Procuratorem, & non aperiantur absque nostra licentia, & si quæ scripturæ sint extrà Archiuium, reportentur infra octiduum, sub pæna Excommunicationis, & in posterum nè extrahantur, sub eadem pæna tribus custodibus.

4 Qui nouiter aggregantur ad seruitium Ecclesiæ, & tandem ad Massam Capitularem, per suffragia secreta supra medietatem admittantur.

5 Capi-

5 Capituli Procurator non confirmetur, nisi prius rationem de sua administratione reddat, & si debitor erit, nulla erit electio.

6 Et cum Massa Capitularis prematur multis oneribus Missarum, ideò nè bona incuria Procuratoris dissipentur cum iactura suffragiorum illarum Animarum in Purgatorio existentium, præcipimus omnibus Capitularibus, vt quolibet anno eligant alium Procuratorem ad lites ex eodem numero cum Aduocato, qui vt solertius suis oneribus satisfaciant, stipendia assignentur, prout Capitulo placuerit.

CAPVT QVINTVM.

De Exequijs, & Sepulturis.

1 EX operibus misericordiæ præstantissimum esse mortuos sepelire, nulli dubium est, vt videre est in sacris literis. Angelus Raphael, relictis alijs misericordiæ operibus, Tobiæ solum dixit: Quando sepeliebas mortuos, tecum eram, quod ratione etiam probatur, nam reliqua opera misericordiæ tendunt in hominem, à quo quis temporalia sperare potest, à mortuo nihil, dum è corpore egressa anima nihil habet proprium; pro quibus Sancta Mater Ecclesia, veluti Mater solet quasdam sacras cæremonias in sepeliendis suis filijs adhibere, tanquam vera religionis mysteria, christianæque pietatis signa, & fidelium mortuorum saluberrima suffragia. Igitur, vt cum pietate, & deuotione hoc charitatis opus exerceatur, hæc adijcimus.

Tob. 12. 13.

2 Rectoribus, & Parochis Ecclesiæ mandamus, ne quis vita functus, propter eius inopiam, sepultura careat, aut supra terram plus consueto moretur, nam Deo in his, ipsi famulantur, & magnum misericordiæ opus exercetur.

Gratis

Gratis igitur talis ſepeliatur, gratis funus ducatur, gratis omnia præſtentur, quia à Deo remunerantur.

3 Nemo de nocte ſepeliatur, tempus congruum eſt à Sole oriente ad occidentem. Cadauera ſupra terram ad minus per horas duodecim detineantur. Laicorum corpora Laici, Clericorum feretris Clerici, Sacerdotum Sacerdotes, quantum fieri poteſt, humerum ſupponant, & ſepeliant.

4 Humo commendata nè exhumentur, neque aſportentur in aliam Eccleſiam ſine noſtra ſcientia.

5 Sacerdotibus ſegregatus locus ab alijs aſſignetur; ſic infantibus peccati ignaris, ſacro fonte abluтis.

6 Mulieres cum vlulatu funus non comitentur, ſed cum ſilentio proſequantur, & vltra limen Eccleſiæ non progrediantur.

7 Regulares, & Confratres ad funerum pompam, eum locum occupent, quem in publicis ſupplicationibus ſolent.

8 Cadauera extra domum ne efferantur, niſi proprio Parocho vocato; quæ cum pompa ad Eccleſiam ſepelienda deferantur; & Pſalmi vicatim, alternatim cantentur à Sacerdotibus.

9 Eleemoſynæ ad pompam, ſint eædem in ſingulis locis, quæ hactenus ſeruatæ ſunt, tam ex conſuetudine, quàm Decretis aliorum Epiſcoporum anteceſſorum noſtrorum, & præſertim in Synodalibus Conſtitutionibus Reuerendiſſimi Fratris Deodati Scagliæ, quas in præſenti confirmamus.

10 Regulares cadauera nè exportent è domibus abſque præſentia proprij Parochi, etiam ſi cum habitu regulari ex teſtamento, ſint humanda.

11 Et ſi contingerit aliquem ſepeliendum in Cænobijs Regularium extra Ciuitatem, tunc Parochus, & qui ad pompam fuerint vocati, ad portas Ciuitatis færetrum in poſſe Regularium tradent, & ipſi ad propria loca reuertantur.

12 Sacerdotes, & Clerici, tam Seculares, quam Regulares, vel etiam Confratres ad pompam vocati, exemplum deuotionis, & pietatis præferant, in habitu Sancto incedentes cum modestia, & pietate.

13 Publici peccatores, Excommunicati, aut Interdicti, nisi cum signis pęnitentiæ decesserint, à sepultura Ecclesiastica arceantur.

14 Cæmeteria cingantur muro, nè quadrupedia valeant pedes inferre. Nulla quidem arbor, vel herba vireat.

15 Crux in medio, aut in angulo emineat è lapide. Sepulchra noua in Ecclesijs absque nostra licentia non condiantur, & quæ à bradella Altaris spatio minoris vnius cubiti non erunt, humo impleantur, & claudantur.

CAPVT SEXTVM.

De Celebratione Missarum.

Leu. 19. 3. 1 SAncti estote, quia ego Sanctus sum, Dominus Deus vester. Sacerdos in æternum Christus Dominus nobis dans exemplum, vt sequamur vestigia eius, Sanctos nos esse iubet, sicut, & ipse Sanctus est. Imitari non pigeat, quod celebrare delectat. Et si omnibus in communi præcipit sanctitatem, eò magis Sacerdotibus, qui quotidie immolant, non Hircorum, & Taurorum carnes, sed hostiam immaculatam, scilicet Christum Crucifixum Deo Patri, in redemptionem nostrarum culparum, sicut *Dom. 9. post Pent. Orat. Secreta.* dicit Ecclesia: Quoties huius hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ salutis exercetur. Hinc quanta debent puritate, & deuotione Sacerdotes accedere ad tam mirabile, & magnificum Sacrificium conficiendum, audi- *Leu 21. 18.* te quid ipse Dominus dicat in Leuitico: Qui habuerit maculam, panes non offerat Deo suo, nec accedat ad *1. AdCor. 11. 18.* ministerium eius. Ideò probet primo seipsum Sacerdos,

& sic

& sic de Pane illo edat, & de Calice bibat. Oportet, vt prius sit Iacob luctans, & postea Israel Deum videns. Si enim Regius Psaltes ad ædificandum Templum materiale Deo, dixit: Opus grande est, neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. Nos, qui in visceribus nostris quotidie verum Deum recipimus, emundemus conscientias nostras ab omnibus inquinamentis, & ad Altare accodamus sine maculis, nam si stomacho languido accedimus, venenum pro Antidoto erit. Communis sumptio, sed dispar exitus. Sacrificium hoc offertur pro viuis, & defunctis, pro viuis est sacrificium propitiatorium ad delenda peccata, & si is, pro quo offertur, sit in peccato mortali, habet vim conferendi illi gratiam excitantem, ad resurgendum à peccatis, aut per contritionem, aut per Sacramentalem confessionem, ex qua, ex attrito erigitur contritus; & si sit in gratia, habet vim conferendi auxilia concomitantia ad augendam gratiam. Dicitur etiam satisfactorium, quatenus offertur pro animabus in Purgatorio existentibus, impetrando illis relaxationem pœnæ debitæ pro peccatis. Videant, & mente considerent Sacerdotes, quanta eis Dignitas data sit, vt non solum pro seipsis, sed pro viuis, & defunctis orent, & impetrent à Domino misericordiam, & gratiam. Hæc de effectibus, & Ministris huius sacrificij intrinsecè; nunc ad quędam extrinseca ad eiusdem Diuini cultus pertinentia.

S. Thom. 2. 2. q. 182. ad 3. & Caiet. 1. Paralip. 29. 1.

2 Aduenæ, & Peregrini Sacerdotes non admittantur ad celebrandum, nisi suorum Ordinum attestationibus authenticis patefactis.

3 Et quia illa pars, quæ ad Sacerdotem celebrantem pertinet ex communi vsu Ecclesiæ, potest alteri applicari pro eleemosyna accepta. Nos istam eleemosynam taxamus pro qualibet Missa carolenum vnum.

4 Et pro legatis pijs perpetuis iam confectis, & acceptatis, illa relinquimus, pro vt fuerunt instituta in suis Cappellis, & Altaribus. Volumus autem, quod deinceps

legata perpetua nulli liceat acceptare absque nostra licentia in scriptis, quam; cognitis singulis oneribus, ac redditibus securis, ad rationem carolenorum duorum pro singula Missa in communi dabimus. Ad Altare vero Sanctissimi Rosarij in nostra Cathedrali ob frequentiam celebrantium, ad carolenos tres concedemus, iuxta decreta Sacræ Congregationis, 1625.

5 Et ne Animæ Defunctorum expectantes suffragia relicta, dilatione celebrantium, careant statutis diebus, præcipimus, vt in Sacristia publicè collocetur liber, vbi distinctè, quotidieque huiusmodi Missæ notentur propria manu Sacerdotum obligatorum, & in fine hebdomadæ ostendatur videndus.

6 Hortamur denique Parochos, vt crebris monitionibus nubiles Puellas ad Missas audiendas festiuis diebus disponant; ita etiam luctuosas mulieres, quæ lugere nunquam desinunt suorum Defunctorum obitus in perniciem suarum animarum, ac in domibus seipsas sequestrant; propterea eas nunquam cessent increpare, etiam cum censurarum comminatione.

7 Perdurante Choro, in maiori Altare Missæ sacrificium non offeratur.

8 Missa Conuentualis in nostra Cathedrali ex antiqua traditione, Pastoris arbitrio applicatur. Ex primo Sacerdotij nostri mense ad ouium salutem dedimus, vt qui sedent in tenebris, & in vmbra mortis per peccatum, illuminentur, & erigantur, vt illuminati confirmentur in gratia concomitante vsque ad finem; & sic denique post mortalis huius vitæ curricula, vna cum commisso nostro grege ad æterna illa gaudia peruenire possimus.

9 Illam vrbanitatis consuetudinem laudamus nostri Capituli Melphitani, qui cum hic residemus, mandat quotidie Sacerdotem in Sacello nostri Palatij ad celebrandum, cuius applicationem volumus, quod semper

sit ad libitum eiusdem Capituli, cum Nobis tantum sufficiat præsentia Missæ.

10 Primo hortamur cunctos Sacerdotes, deinde præcipimus, vt Bullam Vrbani Octaui de celebratione Missarum semper præ oculis habeant, tanquam speculum, cum in ea, quid vitandum, quid obseruandum, videre possint.

11 Aduertant Sacerdotes in sacrificio celebrando, nè quid addant, vel minuant in cæremonijs, præter illa, quæ in Rubricis Missalis Romani continentur.

PARS QVARTA.

CAPVT PRIMVM.

De Monialibus.

Psal. 44. 11. *Gen.* 12. 1. 1 AVdi filia, inclina aurem tuam, obliuiscere Populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, Christus suis sponsis loquitur, vt ad exemplum Abrahę exeant de terra sua, & de cognatione sua, & habitent in regione viuentium, quam suspirat Regius Psaltes
Psal. 26. 13. dicens: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et quia non sufficit tantum exire de terra vestra, idest de domo materiali parentum, iungit quod perfectum est, vt & animo, carne contempta, obliuiscamini Parentum vestrorum, vt Cælestis Sponsi amplexibus inhærere possitis. Hæc est illa scala Iacob, per quam vos vti Angeli ascendi-
Gen. 28. 12. tis, & descenditis, quibus Dominus innixus, laxis porrigens manum, & fessos ascendentium gradus sui substentatione substentans, quia concupiuit Rex decorem vestrum.

2 Hinc ad Regularem obseruantiam, per quam veluti gradus Christus Dominus ducet vos in cubiculum suum, vbi audire possitis veri Salomonis sapientiam, & interim in serenitate cogitationum in Domino oblectare valeatis, quod nostri præcipui muneris est, nam detrimentum pecoris, Pastoris iniuria est.

3 Sacrificio Missæ singulo die omnes intersint, nisi morbo excusante; eodem modo Choro statutis horis vacent. Confessioni, & Communioni intra mensem dies suus assignetur, iuxta Regulam, & Sacrum Concilium, sub pœna inobedientibus ad collocutorium per hebdo-

madam non accedant, toties, quoties. Si aliqua autem frequentius ad Sacram Communionem ire voluerit, arbitrio Abbatissæ, & Confessarij stabit.

4. Otium detestentur, itaut veniens aliquando inimicus homo, semper occupatas inueniat. Post contemplationem, vacent operibus manualibus communitatis.

5 Ad continuam pacem in Monasterio seruandam, præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis, nè cum exteris cuiuscunque conditionis, gradus, & sexus agant, aut loquantur, quæ intra suos domesticos parietes habent, de Sanctarum Monialium culpis, & pænitentijs, præsertim de ordinationibus, & præceptis cuiquam ab Abbatissa, vel à nobis aliquando factis, sub pæna per sex menses ad Collocutorium non accedant.

6 Virginum honestas non patitur cum secularibus habere colloquia, ideò sub pæna Excommunicationis ipso facto incurrenda secularibus cuiuscumque gradus, & sexus mandamus sermonem cum commorantibus intra septa Monasterij nè habeant; ad crates collocutorij nè accedant absque nostra licentia inscriptis, quam dabimus singulis vicibus, pro vt videbimus expedire. Monialibus verò pæna erit priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, cum priuatione veli nostro arbitrio duratura. Eua in Paradiso fuit Virgo, postea quam locuta fuit cum Serpente, cæcidit miserabiliter.

7 Fores Monasterij exteriores, aperto Sole, pandantur, & claudantur antè Solis occasum; claues illi committendæ, quem Nos cognoscemus fidelem, & conscientiæ timoratæ Virum. Ostium verò interius, seu Claustrum Monasterij binis diuersis clauibus claudatur, vna sit pænes ianitricem antiquiorem, alia pænes Abbatissam.

8 Per fores nihil introferatur, nisi quod angustior Rota non capiet, neque vlla Monialis, nec ipsa Abbatissa, aperto ostio clausuræ, cuipiam loquatur, sub anathematis pæna.

9 Ostios

9 Ostiolum ad Confessiones, præter laminam ferream perforatam, pergamino ad intra obtegatur, nè inde cerni queat; duplici claue obturetur, vna per Abbatissam, & alia per Confessarium. Eodem modo fenestrella ad Sacram synaxim porrigendam, sit continuò clausa.

10 Demum fenestræ omnes, quæ aliquos prospectus cum iactura clausuræ, & honestatis Monasterij, si quæ erunt, claudantur, & obturentur.

11 Si qua vrgens necessitas extraordinarij Medici, aut Tonsoris operam repentino poposcerit, non sine Abbatissæ, & Vicarij venia fiat.

Greg. 13. 1571. Concilio Trid. sess. 25. cap. 5.

12 Quæcumque mulier sine nostra facultate, quouis prætextu, intra septa Monasterij ingressa fuerit, ipsa, & Abbatissa anathemate percutientur.

13 Proprium Regularium est obedientia, nam sine obedientia corruet totum ædificium spirituale. Illa dicitur vera, quæ, clausis oculis, absque vlla replicatione exequitur.

Genes. 22. Isai. 58. 3.

14 Obedientia Abrahæ in Sacris literis commendatur, sit vobis in speculo, alioquin orationes, & ieiunia vestra non erunt accepta apud Deum, quia in istis inuenitur voluntas vestra. Ideò omnibus, & singulis præcipimus sub pœna peccati mortalis obedientiam, non solum Nobis, sed, & Abbatissæ, tanquam à Domino constitutis; & alijs pœnis seuerè plectendis, iuxta illud Apostoli: In promptu habèo vlcisci omnem inobedientiam vestram.

2. Corin. 10. 6.

15 Confessarij munus erit non tantum corrigendi peccata, quæ in Virginibus Deo voluntariè dicatis, raro, aut nunquam sunt; sed ad perfectiores gradus (vt par est) paulatim alliciendi; hinc in Confessionibus quædam præcepta, & monita spiritualia donet ad actum amoris Sponso Cœlesti faciendum.

16 Sacramenta infirmis ministraturus, cum Cotta, & Stola indutus accedat, Confessiones audiat infirmæ intra cubile reseratæ, itaut eam audire, & non videre possit, &

in prospectu Confessarij à longè sit aliqua Monialis antiqua.

17 Alia Sacramenta ministret cum omnium Monialium assistentia, & comitatu, ab ingressu, vsque ad egressum.

18 Bis, aut ter in anno Confessarios extraordinarios dabimus, iuxta Concilium Tridentinum.

19 Monialium in Monasterijs numerus erit pro portione vectigalium; tot sint ex computo facto reddituum, ad rationem ducatorum triginta pro singula, siuè Monialis, siuè serua. Et in posterum nulla admittatur, nisi habeat dotem congruam in stabilibus benè cognitis, & approbatis à quatuor Rectoribus à Nobis electis in scriptis, ad summam minus ducatorum triginta annuorum, pro Monasterio Sancti Bartholomæi Melphię. In Atella autem, pro Monasterio Sancti Spiritus, quælibet Puella pro sua dote habeat ducatos centum quinquaginta, ad conuertendos similiter in annuos redditus, prout loci penuria exposcerit.

20 Abbatissa, vel alia, quæ pro tempore Superioris officio fungetur, nullum contractum, instrumentum locationis, venditionis, redemptionis, vel quamlibet aliam scripturam priuatam ineat, sub pæna priuationis ab officio ipso facto, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ in perpetuum, & vltra nullitatem contractus, siuè scripturæ priuatæ, quos Nos ex nunc irritos esse declaramus: Notario, vel cuilibet alio, etiam Excommunicationis pęnam ipso facto incurrendam infligimus.

21 Sed si quæ erunt faciendę, Nos consulant, qui cognito negotio, approbato à dictis Rectoribus, in vtilitatem Monasterij facultatem dabimus.

22 Quatuor Rectores à Nobis deputati, duo ex Clero nostro, & duo Laici timoratę conscientiæ cum Confessario, & Procuratore, singulo mense videant computa, exitus, & introitus ad crates Collocutorij cum assistentia Abbatissæ, & Vicariæ.

23 Quatuor Rectorum munus præcipuum erit, census, redditus, & bona stabilia in meliorem statum reducere. Quapropter curent, & inuigilent, vt Inuentarium condiatur Iuridicum, vt annui census recuperari possint absque strepitu, & iudicio seculari; & interim præstent, vt quotidianus victus à Procuratore Sanctis Monialibus suppeditetur in communi.

24 Nouitiæ in regula Monasterij, eiusque consuetudinibus, in Chori ministerijs, & in omni virtute, præsertim in humilitate, obedientia, & orationis familiaritate, diligenter à Magistra instruantur. Separatò ab alijs loco dormiant, edant, & laborent.

25 Professionem emittant post decimum sextum annum expletum; sed præcedat per Nos, aut per nostrum Vicarium Generalem voluntatis exploratio, ac morum, & obseruantiæ Regularis sedula inquisitio ab Abbatissa, & à Præfecta antè duos menses futuræ professionis, quam si ritè reperiemus, ad professionem licitè admittere curabimus; sin autem, tanquam Ouem morbidam ex Ouile Domini eijciemus.

26 Suffragia ineundæ professionis, singula à singulis professis Sanctimonialibus secretò per proprias manus porrigantur, nullo respectu habito sanguini, odio, gratiæ, aut fauori humano; sed obsequium Deo, & Monasterij vtilitatem antè oculos habeant.

CAPVT SECVNDVM.

De Seminario.

Matt. 13. 32. 1 SEminarium simile est grano sinapis, quod minimum est ex omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt Volucres Cœli veniant, & habitent in ramis eius. Filij in Seminario erudiendi, ex Conc. Tridentino, debent esse

Sess. 23. *de ref.* 18.

pauperes. Ideò minimi ex omnibus hominibus, sed morali, & spirituali doctrina edocti, deueniunt præ cæteris maiores, & fiunt arbores altæ, veluti Palmæ, itaut Populi, processu temporis, veniant edocendi ab ipsis non solum scientiam temporalem, sed, & reliquas virtutes morales. Vnde ò nouella germina sanctitatis, flores honoris nostri, vos alloquor cum Regio Psalmista: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Duplex timor ex Sacris literis habetur, vnus filialis, alter verò seruilis, absit à vobis secundus; primum antè oculos habeatis, qui dicitur Charitas, quæ foras mittit timorem. Igitur vt hunc timorem filialem Domini in cordibus vestris plantem, hæc sequentia adijcimus.

Psal. 33. 12.
1. Ioan. 4. 18.

2 Quatuor ex nostro Capitulo probatæ vitæ, & scientiæ Rectores sint ad gubernium Seminarij, qui prouentus, census, & quæcumque eiusdem bona accuratè ministrent, & inuigilent, vt à Procuratore exigantur, & erogentur cum charitate. Et vt solertius, & secundum Deum hæc fiant: singulo mense videant computa Procuratoris, cum Præfecti assistentia, qui debet esse maximus natu inter Alumnos; & curent nè quid necessarium auferatur, neque superfluum eis erogetur.

3 Singula quoque hebdomada ad Scholam se conferant, & eorum progressus in Grammatica diligenti examine videant, in quo si defecerint, ad Nos deferant, vt opportunis præsidijs subuenire possimus.

4 Procuratoris erit, omnes census, redditus, & quęcumq; alia bona Seminarij cum quiete exigere, & erogare in quotidianum adolescentium victum cum consilio Rectorum. Et vt cùm diligentia suum officium exequatur: memor sit, quod in veteri lege, peccatum grande erat claudere os Boui trituranti. Isti sunt Agni nouelli, qui veniunt ad fontes scientiarum moralium, & spiritualium, ideò victus honestus elargiatur. Præceptor omni, qua potest diligentia incumbat, vt iuuenes non solum Grammaticæ, sed &

lectioni Officij Beatæ Mariæ Virginis in Choro, statutis
Prou. 25. 4. horis, vacare queant, cui dicimus illud Salomonis: Aufer rubiginem de argento, vt purissimum vas egrediatur. Quapropter in humanitatis igne, iuxta cuiuslibet capacitatem, breuiter, clarè, & iucundè probare curet; similiter, & in reliquis virtutibus moralibus, in quibus exemplum ipsemet præseferat omnibus, in verbo, in conuersatione, in charitate, & castitate, ita vt seipsum saluum faciat, & eos, qui audiunt.

1. Ad Tim. 4. 12. 16.

5 Alumni ad Seminarium admittendi erunt quatuor ex Diœcesi, vnus ex Ciuitate Rapollæ, alter Atellæ, alius Ripacandidæ, quartus ex Casali Barelis: reliqui verò ex Ciuitate Melphiæ, iuxta Seminarij facultatem. Hi sint optimæ indolis, & futuri progressus specimen præstent. Alios cuiuscumque loci non excludimus, dummodo proprijs sumptibus alantur.

6 Præfecti officium erit binos iuuenes sociare, quotiescumque exire contingerit, noctis tempore inuigilare, vt quilibet in suo lecto dormiat, & lumen lampadis ardentis in medio Dormitorij sit ab occasu, vsque ad ortum Solis.

7 Nemo cuiuscumque gradus, & conditionis accedat ad loquendum cum pueris in Seminario existentibus, neque domos Parentum adeant absque nostra scientia. Si Christus inter suos minimè est inuentus, quomodo inter nostros carnales Parentes inuenerimus?

SEMINARII RECTORES.

Reuerendus Sir Hieronymus de Amatis Thesaurarius.
Reuerendus Sir Augustinus Facciutus Canonicus.
Reuerendus Sir Vincentius de Finis Canonicus.
Reuerendus Sir Franciscus Pocchiarus Canonicus.

CAPVT TERTIVM.

De Processionibus.

1 ARca Domini fuit conducta de Cariathiarim in Ierusalem ab vniuerso Israeli, secundum ordinem, & cæremonias, quas præceperat Dauid, & vltimi erant Leuitę, sicut constituerat Dominus, vt portarent Arcam. *1. Paralip. 15. per totum.*

2 Ex quo Ecclesia Catholica Processiónes instituit, duplici ratione, prima, ad gratias Deo agendas pro collatis beneficijs, secunda, ad placandam suam iustissimam iram ex nostris culpis. Quanta debeamus reuerentia, & timore Processionibus interesse: exemplum Ozę timeamus. *1. Paralip. 13. 9.* Hinc præcipimus omnibus, qui de iure, & consuetudine interuenire solent ad Processiones generales, accedere, eam modestiam in vultu præferentes, qua decet actuali seruitio Dei præsentes. Cum Secularibus colloquia nè habeant, sed Psalmos, Hymnos, & alias preces Diuinas deuotè Deo psallentes.

3 Processiones solemnes, ad quas omnes volumus interuenire, sunt: Fæstum Sanctissimi Corporis Christi, & eiusdem Octaua. Ascensio Domini. Litaniæ maiores. Rogationes. Et in die Sanctissimæ Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, ex voto tempore pestis facto ad gratiarum actiones, & alię, quæ contingere possunt pro bono publico. Aliæ Processiones particulares sunt nostri Capituli Melphitani, in quibus solum astringimus, qui de consuetudine accedere solent.

4 Regulares nullo pacto audeant per Ciuitatem Processiones facere, satis erit per eorum Ecclesias, & Claustra circumire, vt moris est.

5 Præcedentiam ad humanum, & profanum honorem non esse perquirendam, sed Dei gratiam exposcendam dici-

dicimus, in cuius conspectu cum humilitate, & puritate cordis, primi debent esse nouissimi, & nouissimi primi.

CAPVT QVARTVM.

De foro Ecclesiastico.

SI Iustitia apud Codices Seculares est tribuere vnicuique quod suum est, eo magis in Ecclesiasticis, qui cæteris præfulgere debent virtute, quibus præcipit Dominus in Deutoronomio: Iuste, quod iustum est, persequeris; itaut Stateræ iustæ, & æqua sint pondera. Quapropter Vicarius noster Generalis sit erga subditos iudicandos tanquam frater, humaniter eorum instantias intelligat, & recipiat, ita vt misericordia, & veritas præcedant faciem suam. Quia Ecclesiasticum forum est misericordiæ Thronus, duplex iudicium est exercendum, criminale, & ciuile. In criminalibus semper procedatur contra Reos, probatis prius excessibus, exemplo Domini, qui volens destruere Ciuitates, dixit: Veniam, & videbo, si clamorem filiorum, qui venit ad me, opere compleuerint, an non, ita vt sciam?

Deuter. 16. 20. *Leuit.* 19. 36. *Psal.* 85. 16. *Gen.* 18. 21.

2 In sententijs postea ferendis sit memor præcepti in Ecclesiastico dati: Noli esse nimis iustus, quandoque iustus in sua iustitia peribit. Et si hoc Spiritus Sanctus dixit in lege iustitiæ, audiamus quid nunc loquatur in lege gratiæ, vbi: Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri, qui cum essemus mortui peccatis, viuificauit nos in spem viuam, delens omnia peccata nostra; qui iustitiam duplici vinculo misericordiæ ligauit. Igitur in puniendis delictis, misericordia præcedat faciem suam. In actibus, & decisionibus ciuilibus, quoad fieri potest, obseruentur Ritus Regiæ Vicariæ, cum decor Ecclesiæ sit esse idem ius cum foro laicali, exemplo Moysis, & Aaron, qui continuo in regimine Populi electi, erant vnanimes. Igitur in instru-

Eccles. 7. 17. *Ad Tit.* 3. 4. *Isai.* 43. 25.

strumentis liquidis contra debitores habeant exequutionem paratam, sicuti, & in debitis censualibus, vt in Bulla Nicolai Quinti. Similiter, & in iudicio assistentiæ ex publicis scripturis præsentatis per partes contra tertium possessorem pro exequutione, continentibus pactum de capiendo cum constitutione Precarij. Quæ omnia etiam à nostris prædecessoribus fuerunt ex longæua consuetudine practicata.

3 Cætera, quæ à nostris prædecessoribus in eorum Constitutionibus Synodalibus sancita fuerunt, in eorum robore permanere volumus, dummodo præsentibus nostris non aduersentur. Et quas hic non apposuimus transgressoribus pœnas, nostro arbitrio relinquimus imponendas. Sess. 24. c. 18. de reform.

4 Actorum Magister sit diligens, & fidelis in scribendo, & in recipiendis scripturis, cum continua assistentia in Tribunali; nihil præter taxam recipiet, quam Nos hic apponimus, cuius exemplar sit in Tribunali ad parietem appensum, itaut quilibet videat, quid sit pro singulis scripturis erogandum.

5 Præcipimus omnibus vtriusque sexus sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, ne quæuis scriptura ab Archiuio extrahatur, & quæ iam ablatæ fuerunt, infra quindecim dies reportentur.

6 Et idem Magister actorum interim curet omni diligentia, & solicitudine, vt scripturę suo ordine sint.

7 Vicarij foranei ne delicta cognoscant subditorum, sed capta informatione, illico Vicarius Generalis informetur, contra quos, vt grauitas delicti exposcet, procedetur, sicuti supra diximus. In ciuilibus verò illam summam, quæ viginti carolenos non excedat, cognoscant cum consensu ambarum partium, & sine strepitu, & summariè partes ad inuicem concordent.

8 Tandem si quid in his nostris Constitutionibus dubij, aut difficultatis oriri posit, talem explicationem nobis

refer-

reseruamus; cum nostra intentio alia non sit, nisi mandatis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ parere, quam sicuti Magistram, & Matrem omnium Ecclesiarum agnoscimus, ita illi omnia, & singula, quæ in his Decretis continentur, emendanda, & corrigenda (qua par est reuerentia) subijcimus.

CAPVT QVINTVM.

De Examinatoribus Synodalibus.

Seß. 24. *c.* 18. *de refor.* 1 EX præcepto Sacri Concilij Tridentini nominamus aliquos Ecclesiasticos scientia præditos, ad examinandum eos, qui curam animarum suscipere intendunt, cum Parochiæ vacauerint, quos astringimus ad quatuor Dei Euangelia, iuramentum præstare, quacumque humana affectione postposita erga examinandos, munus suum fideliter exequuturos. Et caueant, nè quidquam prorsus occasione huius examinis, directè, vel indirectè accipiant, nè Simoniæ labem tam accipientes, quam dantes incurrant, à qua absolui nequeant; nisi dimissis Beneficijs iam habitis, & ad alia inposterum obtinenda, incapaces reddantur.

2 Examinatores in hac Synodo hos proponimus.

R. V. I. D. Sir Iosephum Antonium Parrinum, Cantorem nostræ Cathedralis Melphiæ.

R. V. I. D. Sir Sebastianum Villanum, Primicerium nostræ Cathedralis Melphiæ.

R. V. I. D. Sir Franciscum Loffreda, Vicecantorem nostræ Cathedralis Melphiæ.

R. V. I. D. Sir Vincentium de Finis, Canonicum Melphiæ.

R. Sacræ Theologiæ Professorem Sir Hyacinthum Cerasium, Canonicum Melphiæ.

R. V. I. D. Abbatem Carolum Mongellum, Canonicum Rapollæ.

R. Sa-

R. Sacræ Theologiæ Professorem D. Laurentium Nella, Parochum S. Theodori.
R. D. Petrum Criesia Archipresbyterum Barelis.
R. Patrem Magistrum Fratrem Felicem à Conuersano Ordinis Conuentualium S. Francisci.
R. Patrem Magistrum Dominicum Vinci, Priorem Ordinis Carmelitarum.

CAPVT SEXTVM.

De Iudicibus Synodalibus.

1 EX Sacro Concilio Tridentino, iuxta Bonifacij Octaui Decretum, deputamus Iudices, vt causæ Ecclesiasticæ, & Spirituales ad forum Ecclesiasticum spectantes, à Sede Apostolica, vel à quolibet Legato, vel Nuntio Apostolico delegari possint, videlicet.

R. Dominum nostrum Vicarium Generalem pro tempore.
R. V. I. D. Iosephum Antonium Parrinum, Cantorem nostræ Cathedralis.
R. V. I. D. Sebastianum Villanum, Primicerium nostræ Cathedralis.
R. V. I. D. Abbatem Carolum Mongellum, Canonicum Rapollæ.

TESTES SYNODALES.

R. V. I. D. Franciscus Loffreda, Vicecantor nostræ Cathedralis.
R. Franciscus Antonius Ninna Canonicus.
R. Annibal Bottarius Canonicus.
R. Franciscus Pocchiarus Canonicus.
R. Franciscus Pettorale Canonicus.
R. D. Symon de Maso Parochus S. Luciæ.

MAGISTRI CÆREMONIARVM.

R. D. Bartholomæus de Nigris, Parochus Sancti Nicolai de Platea.
D. Mirandus Bastellis.

SYNODI SECRETARIVS.

Sir Emanuel Spada.

CAPVT SEPTIMVM.

De Synodi Fine.

Psal. 67. 14. 1 HÆC sunt, filij dilectissimi, quæ saluti vestræ spirituali pernecessaria esse duximus, cum sint ex vtroque sacro fonte hausta, ab omnibus obseruari volumus; vt mores Ecclesiastici Ordinis pallore auri fulgentes, & Seculares in tali speculo respicientes: eorum actus, vt pennæ Columbæ deargentatæ in puritate cordis Domino elucere possint. Et vt hæc benè agere valeatis, sicut in principio diximus, ita, & in fine commendamus.

Matt. 22. 37. 39. Marc. 12. 30. Luc. 10. 27. 1. Epist. Ioan. 3. 18. 1 Cor. 15. 53. 2. Ad Tim. 4. 7. 2 Duo sunt præcepta Domini, amor Dei, videlicet, & proximi, quæ ipse Dominus explicauit, dicens: Quod tibi non vis, alteri nè feceris. Itaque diligite alterutrum, non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate, vt suam Sanctissimam gratiam in præsenti obtinere possitis. Et tandem cum mortale hoc induerit immortalitatem, vnusquisque vestrum possit Domino dicere: Bonum certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, ideò repone mihi coronam iustitiæ, quam certò reponet vobis Dominus iustus Iudex. Et interim cum nostra benedictione quilibet in propriam domum reuertatur. Et sicut Nos incessanter pro omnibus preces Deo damus in nostris Sacrificijs,

 vt

vt Pastoris officio tenemur : ita in vestris orationibus memẽtote oneris humeris nostris impositi, vt per virtutum semitas, cum Dominus pulsauerit, non solum aperire, sed obuiam ei ire possimus vna cum commisso nostro Grege, dicentes : Domine cucurrimus in via mandatorum tuorum, iube nos intrare in illam sempiternam Gloriam, vbi oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ diligentibus te præparasti.

Luc. 12. 36. *Matt.* 25. 7. *Psal.* 118. 32. 1.*Cor.* 2. 9.

INDEX.

PARS PRIMA.

PARS SECVNDA.

PARS TERTIA.

PARS QVARTA.

F I N I S.

INDEX

1678